LITTERAE PASTORALES

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
Gregorii Thomae
EPISCOPI TARNOVIENSIS
AD CHRISTI FIDELES
SUAE PRAESERTIM DIOECESEOS
OCCASIONE
JUBILAEI, UNIVERSALIS
MDCCCXXVI.
EDITAE.

Instructio de origine, indole ac fructibus indulgentiarum plenissima, ex germanico idiomate in latinum translata a quodam presbytero regulari.

Tarnoviae,
Typis Josephi Karnstädt.
1827.

GREGORIUS THOMAS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS TARNOVIENSIS IN GALICIA OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS SUAE DIOECESEOS SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO!

1.

Jubilaeum Romae 1825. *et in orbo universo* 1826. *celebratum.*

Quod Successor S. Petri, Vicarius Jesu Christi in terris, visibile S. Catholicæ Ecclesiæ Caput, Pastor omnium fidelium et Pastor Pastorum Papa LEO XII. in urbe Christianitatis principe Romæ Jubilæum, seu annum sanctum aperuerit, ad Nos et vos, dilectissime Grex in Deo salutari nostro! faustus nuntius viis præscriptis solennissime pervenit.

Ingens distantia ab Urbe tum monumentis, tum prærogativis nobilissimis sanctificata, æque ac nostræ vocationis curæ, aliaque negotia domestica permiserunt vix Uni hujus adeo extensi et populosi Episcopatus in Urbem peregrinari, ut ibi im-

mediate hauriret ex redundanti divinarum benedictionum fonte. Quamquam, Dilectissimi! pia Mater Ecclesia catholica omnes filios suos, tam eos, qui in ultimis finibus terræ, tum eos, qui ad Tyberim degunt, eadem solicitudine complectitur, ordo tamen rerum exigit, ut fructus cœlestium donorum ibi primum maturescant et dispensentur, ubi primitiæ Apostolorum et Martyrum Jesu (Apoc. 17.) sanguine suo fundarunt et fœcundarunt Evangelium, quod vinea Christi est. Ibi primum, ubi nunquam error, vel fraus 18. integris sæculis florentem Ecclesiam valuit abducere a vero *) ibi primum, ubi visibilis stat fidei petra, Ecclesiæ fundamentum simul et propugnaculum, centrum eorum, qui ab ortu solis usque ad occasum adorant Theandrum, centrum, inquam, unitatis, quod illos omnes tamquam unius corporis membra coadunat in unum gregem, in unum sacerdotium, in unam Ecclesiam,

---

*) Id quod non diffitentur ipsimet adversariorum candidiores animæ post Grotium et Leipnicium, Jo. Müller, Herder, Plank &c. &c.

in unam Sactorum Commnnionem, in unum Regnum Dei in terra et in Cœlo. Ecce nunc nobis quoque utut longe dissitis, quemadmodum iis, qui prope sunt, scilicet ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, eadem gratiarum gaza panditur.

Nos igitur absque ulla mora, o grex dilectissime! festinamus Vobis spirituale hoc gaudium communicare Deum precantes, ut omnes diem salutis agnoscatis, utque nomen D. N. Jesu Christi, per quem Redemptio, Salus et Benedictio mundo obvenit, cum universis Ecclesiæ catholicæ filiis benedicatis, atque participes effecti de thesauro infinitorum Ejus meritorum glorificetis. Itaque voci Patris fidelium cunctorum aures præbete.

2.

Prima vestigia indulgentiae a Deo humano generi concessae.

Jam olim in V. T. Dominus Deus quasdam populo Israelis designavit temporum annorumque periodos, in quibus majori quam solebant zeli, pietatisque contentione sese mutuo incitarent, adque ad omne,

quod bonum est, inflammarent, nominatim in loco, ubi Deus aræ victimis colebatur, ubi omnes orthodoxi victimis participaturi conveniebant, seque in spiritu renovabant. Hac ratione institutæ sunt peregrinationes *Jerosolymam* et ad alia loca sacra, in quibus data est servis Dei revelatio et religio; in quibus Patres fidei primipili terestrem suam peregrinationem compleverant; aut in quibus uberius fluebant charismata cœli, atque magnalia Dei.

Moyses, magnus ille tum vates, tum legifer Israelitarum sapientissimus mandavit (Lev. 25, 8.) quinquagesimo quoque anno unumquemque peculiariter sanctificari debere. Is enim, qui inter homines priscos plurimum laboravit, ut perennis timor Dei, stabilisque pietas insereretur cordibus populi electi, edoctus superna luce vivit clarissime, vitam mortalium indigere frequenter mediis institutisque extraordinariis, ope quorum efficacius vitæ hujus caducitas, fidei statusque officia, ac non minus errata quævis per commissionem vel omissionem orta in memoriam reducantur; ope quorum excitentur non pauci ex veterno tepiditatis aut peccati,

aut pravæ consuetudinis; ope quorum demum eradicentur speciosæ radices usuræ, agrestia omnigenorum scelerum germina, cruentæ exactiones, atque immisericors pignoris extorti retentio.

3.

Annus Jubilaeus V. T.

Quum enim ille idem legislator perspicue videret, assueta religionis exercitia apud complures minime sufficere animabus cohibendis a prædilectione rerum terrenarum, neve provehendis ad res spirituales et cœlestes, sapenter præfinivit annum Jobelæi in orbem recurrentis, ut unusquisque expeditus curis temporalibus vacaret suae reconciliationi cum Cœlo et cum terra, aut paci obtinendæ secum et cum aliis. Quo autem certius assequeretur scopum tam sublimem, voluit arva quoque feriari, vineamque et oleam egenis relinqui. Servi in libertatem vindicabantur, oppressi et calamitosi omnimode sublevabantur. Eo quidem anno sancto omnia postliminii jure gaudebant, ordo politicus, amor Dei et proximi, atque

universalis in spiritu et veritate anacephaleosis. Hoc modo in omnium notitiam veniebant principia fidei circa Providentiam Dei, circa Ecclesiam divinitus gubernatam, et circa præcepta justitiæ æternæ, et una virtus, timorque Dei imprimebantur profunde in cordibus, ac ut ita dicam, in carnem et sanguinem convertebantur.

4.

Unde Jubilaei derivetur nomenclatura? Eius praestantia.

Jobelæum nomen accepit a cornu musico (Jobel) quo personante nuntiabatur gaudium remissionis. Quoniam vero prædictas utilitates nunquam non attulit, jure meritoque fuit hominibus lætus, sanctusque annus, epocha scilicet clementiæ et gratiæ. Quo factum est, ut etiam esset figura, seu typus portendens tempora divinarum promissionum, quando Emmanuel Princeps pacis et Pater diu suspiratæ Redemptionis æternus Dei Filius, assumpta humanitate, evangelium suum millenis beneficiis et prodigiis in mundum intulit et *verbum salutis,* (Act. 13.) et veritatis æter-

næ commisit dignitati Apostolicæ, quæ sub Ejus invisibili, at perpetua assistentia *pretiosam margaritam* (Math. 13.) fidei salvificæ inviolatam conservat et vegetem hodiedum in senio, prout olim in sua infantia. Næ annus jubileus Israelitarum est eloquentissima figura adventus Domini et remissionis peccatorum per sanguinem Crucis.

Ab hac felici mundi ætate stella illa matutina, quæ prælucebat, cessit splendidissimo (Redemptionis peractæ) jubari; prædictiones igitur, impleta lege, cessarunt; varietati hostiarum Leviticarum hostia una successit, hostia nempe Calvarii, quæ præteritas includit, omnes superat, una ipsa perennat. Expandit manus *suas tota die* (Is. 65.) Jesus crucifixus Redemptor, ut omnibus benediceret, ut universos Adæ filios a servitute peccati liberaret, ut violentia aut calamitate oppressis auxilium opportunum afferret, ut omnium debita deleret, utque singulis hæreditatem amissam restitueret.

Redemptio generis humani inchoat Jobeleum, cujus revolutio non jam mensibus, annisque computatur, sed sæculis.

Quid? quod ultra consummationem sæculi decurrit, et cum æternitate perdurat. Redemptio est *magna Indulgentia*, thesaurus ille inexhauribilis, quem Salvator noster effudit in gremium Ecclesiæ suæ, quando *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna Redemptione inventa* (Heb. 9.); thesaurus, inquam, qui constat non solum ex Christi meritis infiniti valoris per passionem consummatis, sed etiam ex innumerabilibus operibus bonis beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, Apostolorum et Martyrum, sanctorum Confessorum, Virginum et Viduarum et omnium utriusque sexus Pœnitentium. Hic thesaurus est bonum omnibus fidelibus commune, prout in Apostolico symbolo diserte edicitur: *Credo Sanctorum Communionem.*

5.

Omnis peccatorum remissio ceu indulgentia profluit ex communione Sanctorum cum Sanctissimo Salvatore.

Hæc Communio Sanctorum, quorum caput est Christus et cujus membra sunt

Justi, qui ab initio mundi ad hanc usque diem vixerunt et usque ad consummationem sæculi vivent, hæc, inquam, communio nequit ullo tempore comparari cum frigida illa societate filiorum hominum, in qua quisque, quæ sua sunt, quærit unice, quæritque etiam quovis medio, licet cum damno civium seu pauperum, seu aliter impotentium ad resistendum. Est, utique est quædem Sanctorum communio aliena ab omni turpi quæstu, plena benevolentiæ, plena spiritualium divitiarum, plena charitatis et liberalitatis, plena pacis. Communio, quæ virtute præditis gaudium et beatitudinem offert, quæ lapsis consolationem et auxilium pollicetur; quæ pœnitentibus veniam pecatorum, remissionem debitorum quantivis numeri et generis, gratiamque corroborantem impertit, non ut mutet tantummodo mentem, sed ut etiam fructus veræ pœnitentiæ producat magna similiter cum spe obtinendi magnam pœnarum temporalium relaxationem.

Communio Sanctorum, de qua hic sermo, partim est in cœlo *triumphans* partim in terris *militans* Ecclesia, uti

loquuntur Theologi. Est quippe vinculum indissolubile, quod credentes in Christum seu mortalitatis exuviis soluti in pace beate quiescant, seu adhuc in temporali sui probatione vivant, conjungit in unam rempublicam moralem, in unum regnum spirituale, in unam denique societatem, quæ a *summis coelorum usque ad terminos eorum* (Matth. 24.) pertingit. Hæc est Communio Sanctorum, idipsum utique corpus, de quo tam sæpe Dominus dicit, *vos estis corpus meum* (mysticum); se ipsum quidem caput, nos autem fideles membra ejusdem esse; universos esse gregem, se autem esse Pastorem; Ecclesiam ejus sponsam, se vero ejusdem sponsum: *Sicut vir caput est mulieris, ita Christus caput est Ecclesiae et Salvator corporis ejus* quaqua late patet. *Christus se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet Ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Eph. 5.

Hæc pulchra et præclara idea Ecclesiæ christianæ, quæ in infinitum usque protenditur, quæque Christianorum omni-

um corda erigit et confortat, non est ullo modo fœtus piæ fictionis, neque est phantasma natum devotionis igne, siquidem est effatum cautorum et timoratorum virorum, qui tam ab antiquo, quam in medio ævo ornarunt Ecclesiam Dei sanctitate et sapientia. Quid dico? Est certum oraculum Sac. scripturæ. Profecto divinus Magister promisit, se ædificaturum Ecclesiam militantem super petram, utique *super Petrum* (Matth. 16.) Regnum Dei, Ecclesiamque Dei in terra commendavit suis discipulis et successoribus. Apostolus gentium, quando eis Mileto discendens valedixit (Act. 20.) appellat Ecclesiam modo *Corpus* Christi, modo ejus *sponsam*, Christum autem ejus *virum* (text. supracit.) Orat in eodem sensu pro *omnibus sanctis*, id est pro iis, qui juxta Christi doctrinam vitam suam conformare student (Eph. 6.) Hos vocat pluries *templum Dei vivi* (2 Cor. 6) *in Jesu Christo ait omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum.*

Licet characteres et tituli allegati ad ambas unius regni Dei sorores gemellas, ad triumphantem scilicet et ad militantem Ecclesiam pertineant, attamen hujus inopia

et miseria reclamat jure quodam plenas divitias alterius. Non minus clare, quam pathetice de hoc loquitur S. Paulus: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* (Cor. 12.) Comparat enim corporis humani membra, puta oculos, manus, pedes, linguam, aures cum diversis sexibus, statibus, et ætatibus; dein applicat eximiam hanc comparationem corpori mystico Jesu Christi, quod ex justis et beatis, ex infirmis et fortibus, ex imperfectis, aut fere inutilibus specietenus et media parte perditis, ex morbidis et sanis, vel reconvalescentibus fidelibas ad instar membrorum coalescit. Idem Apostolus 1. Cor. 5. scribit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu . . . . congregatis Nobis et meo spiritu.* Ad Ephesios sparsim habet, *Christum* esse *caput Ecclesiae; Primatum habere* super omnes non *solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; nos membra Ejus esse; in Eo esse plenitudinem; instaurari omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt per sanguinem crucis.* Revera quemadmodum sanguis in

nostris corporibus fluit per venas, omnesque meatus a capite ad pedes et viceversa; ita influit efficacia divinæ gratiæ; ita pretium passionis et meritorum Jesu Christi et Ejus Sanctorum influit tamquam principium vitale, aut tamquam succus vivificus, evaditque in sanguinem et vitam totius Ecclesiæ, cujus vitæ participes fiunt omnia Ecclesiæ membra juxta singulorum necessitates et capacitatem. Exemplum hujus Communionis etiam in temporalibus cernitur. Namque olim Christiani primitivi bona propria in commune proferebant (Act. 4.) mittentes ea ad pedes Apostolorum adeo, ut nemo privatam haberet possessionem, sed in Ecclesiæ dominium transferret, ut hæc dispensaret bona secundum unius cujusque necessitatem; quod similiter contingit hodiedum in familiis religiosis, quorum proventus juxta Sanctæ charitatis regulas ad sui non minus, quam ad pauperum sustentationem impendunt. Simili respective modo Communio Sanctorum in bonis spiritualibus semper extitit, existit nunc, atque porro in æternum existet, hic in terris ex parte, sed

in altero sæculo in completa bonorum spiritualium fruitione.

Extra omne dubium est, Christianismum in quodam sensu tam esse antiquum, quam est genus humanum, immo cum humano genere incipit Ecclesia, quæ est *communio eorum omnium, qui Deum timent.* Ob hoc posteri Adæ et Sethi gloriantur suis piis progenitoribus. Ob hoc filii Noe gloriantur de electo Patre suo, ob hoc hebræus olim populus fideles Dei famulos Abrahamum, Isaacum et Jacobum sistebant omnipotenti Deo in suis precibus. Ille a Deo excitatus legislator et dux Israelitici populi, nec non ejus liberator fuit semper gloria et gaudium suorum contemporaneorum. Jam dudum vita functum invocarunt respicientes in varia sua fortuna ejus merita, ejusque cœlitus infusa dona. Dum enim suam infirmitatem, suos errores, suasque prævaricationes perpenderent, fiduciam suam collocarunt in viro a pietate et Dei timore insigni minime dubitantes se Moysis intuitu obtenturos misericordiam: Recordare Domine Deus Sabaoth, Moysis servi tui, ne fiamus opprobrium inimicis nostris. Ne respicias

peccata nostra, sed fidem Patrum nostrorum, quoniam complacuisti in eis (Gen. 9. Exod. 2. et 32. Lev. 26. Ezech. 16. &c. &c.) *Josue, Samuel, David* et sexcenti alii fideles servi Dei, quorum nomina posteris nullus liber tradidit, non poterant ullo tempore oblivisci fratrum et filiorum, qui in unum Deum Israelis speraverant, et qui easdem Dei promissiones crediderant. Reipsa in Israelis casibus experti sunt eos tam adjutores, quam intercessores apud Deum: *Propter David, Christum Domini, Angelus exterminator ceu Percutiens* (2. Reg. 24.) *a nostris tabernaculis recessit; Deus respiciens David servum suum dimisit tribui Juda peccata et poenam diminuit.* Hæc circiter fuit loquela antiquorum patrum, quæ simul est confirmatio decisiva avitæ fidei de *communione Sanctorum* et de ejus salutari emolumento.

Simil modo longa illa series Prophetarum, puta: *Isaias, Oseas, Amos, Elias et Eliseus, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Zacharias* &c. fuerunt non solum exhortatores ad pœnitentiam et Intercessores

suorum contemporanearum, sed etiam post mortem fuerunt amici veri generationum se succedentium. *Jeremias* post suam mortem multum orabat pro populo Israelis, pro sancta civitate amicus et frater Judæorum. (Macc. 2. 15.) Templum Salomonis Jerosolymæ habebatur veluti *centrum Communionis credentium*, ad quod præterita et præsentia tempora concurrebant, ut cor effunderent in conspectu Dei precibus et sacrificiis in odorem suavitatis, ut cum thymiamate resolverentur ad contritionem corda et e cœlo impetrarent propitiationem.

Quare miserunt strenui Machabæi argenteos Jerosolymam pro iis, qui in proelio occubuerant? *Ut a peccatis solvantur*, ait 2. Mach. 12. Non solum a reatu culpæ, sed etiam a reatu pœnæ speraverunt fideles bellatores fore, ut fratres sui liberentur. In idem recideret, si diceres, speraverunt se eis a Deo impotraturos *Indulgentiam* quamdam. Alius enim sensus non potest in cit. textu supponi. Juvat in actione adeo liberali supponere pium sensum!

Pro peccatis totius gentis etiam a tota gente in V. T. hostiæ immolabantur. Cur? Ut certe per Communionem fidelium, aut ejusdem fidei, seu cultus coram altari orationibus sanctis destinato virtus debilium erigeretur, disponerenturque animi ad obtinendam a Dei bonitate veniam et remissionem etiam temporalium pœnarum ob transgressionem mandatorum, ob recessum a via virtutis et timoris Dei.

Communio Sanctorum in Cœlo cum fidelibus in terra et fidelium cum Cœlitibus debuit sane ut meridiana lux splendide et efficaciter se manifestare hominibus, prout reliquis divinæ revelationis partibus contigisse patet, quando *venit in mundum lux, quae illuminat omnem hominem* (Joan. 1.) Si enim ante adventum Salvatoris mundi a primis mundi familiis usque ad Patriarcham Abrahamum et ab hoc usque ad Moysem et Prophetas omnipotens Creator populo veniam indulsit propter communes Justorum gemitus, etsi jam de vita migrassent, vel manum jam extentam retrahendo, vel flagellum jam illatum attenuando, vel omnino avertendo pro semper, sicuti animadvertere licet in

diluvio universali et in historia Noe: Si enim Dominus excidium Sodomæ non voluit, si tantum 50 et tandem si soli 10. justi in ea urbe inventi fuissent: Si porro propter Abraham, Isaac, Jacob, Mosem, Aaronem et Josue veniam et remissionem concessit populo Israelis tam ingrato, quam rubelli: Si Dominus arroganti et duro Eliphaz ejusque amicis promissit condonationem et indulgentiam propter servum suum Jobum, qui pro iis preces et hostias obtulit (Job. 42.) Si Ninive, in sacco et cinere jejunans Deum placare, atque exterminium tam amplæ urbis a se avertere potuit; si demum annus sabbaticus, dein annus Jubilæi recurrens, ille 7mo quoque, iste 50mo quoque anno in V. T. fidelibus obtinebat a Deo adeo magnas gratias et tam plenam remissionem.... quid non dicendum est de Ecclesia N. T. et de diebus placationis institutis in utilitatem spiritualium suorum filiorum?

6.

Praestat novum testamentum veteri quoad gratiarum dona uberiora.

Absque dubio lucidior est calidiorque meridies, quam crepusculum, vel aurora;

veritas charior atque salubrior umbris Mosayicis; eventus rei copiosior quoad fructum, quam vaticinia rei. An forte Jesu Christi sponsa, sancta, dilecta, gloriosa sponsa filii Dei, templum spiritus sancti, in sanguine Christi fundata Ecclesia tantumdem non valeret, quantum vetus synagoga? An ejus oratio et sacrificium minus efficeret ad effectum delendi peccata, continendique evaginatum vindictæ gladium? An solennitates Christianæ, quam merebantur solemnitates Judaicæ benedictionem haud similem mundo mereantur? An templum Dei vivi minus cœlestia dona tribuerit, quam V. T. arca, quam mons Sion, quam tabernaculum Salomonis in Gabaon et quam ejusdem Salomonis templum in Jerusalem, quidquid sit de ejus amplitudine et gloria? An tabernaculum non manufactum Filii altissimi non erit longe aptius repropitiandis hominibus a culpa et pœna, quam fuerat arca fœderis levitici? Excelsa illa omnes præteritas longe superans *oblatio*, quæ ab *ortu solis usque ad occasum a nationibus in omni loco Offertur nomini Domini altissimi* (Mal, 1.) oblatio tam pura, quam

ter sancta an non referet palmam et primatum de cruentis Levitarum victimis? Loquimur hic de objecto, quod filiis Ecclesiæ catholicæ compertum exploratumque est, quam quod fusius oporteat disserere. Si enim typus passeris dimissi et capri emissarii diem reconciliationis inducebant, quanto magis sanctissimus agnus paschalis in ara N. T. oblatus præbebit hominibus bonæ voluntatis indulgentiam peccatorum. Nemo de grege boni Pastoris sibi persuaderi sinat, quemadmodum nonnulli forte arbitrantur, doctrinas modo relatas esse exoticas, atque à longe petitas. Hoc dici nequit nisi ab eis, qui existimarent, Israelitas nunquam habuisse ideam, neque instructionem circa remissionem peccatorum. Si quis V. T. nutus et figuras a nobis indicatas aut creditu difficiles, aut non sufficientes judicaret, hunc rogamus, ut non paucos Prophetarum textus accuratius scrutetur. Sed prius sciendum est, quid per *Indülgentiam* intelligat Ecclesia et cum ea mundus catholicus vere instructus.

7.

Quid sit indulgentia?

Indulgentia præsupponit culpam jam dimissam et statum gratiæ coram Deo. Quod obtinetur solummodo per seriam pœnitentiam internam una cum proposito dignos pœnitentiæ fructus faciendi, dein per accusationem sui sacramentalem et tandem per sacram synaxim. ***Poena vero pro peccatis remissis debitae, utut sint solum temporales, condonantur a Deo vel ex parte, vel non raro ex toto, intuitu infinitorum meritorum Mediatoris ejusque Sanctorum vel quod idem est, intuitu Communionis Sanctorum praetiosae in oculis Domini.*** Potestas autem relaxandi dictas pœnas concredita est Sacerdotio divinitus instituto, præcipue Capiti supremo Ecclesiæ.

In data descriptione indulgentiæ continentur sequentes partes essentiales. *a)* Indulgentia præsupponit reconciliationem cum Deo et statum gratiæ, ideoque reatus pœnæ æternæ per peccatum lethale non remissum contractus tolli per intulgentiam nequit, sed *b)* restituto gratiæ statu per

sinceram pœnitentiam, cujus actus sunt confessio cum cordis contritione, remittuntur pœnæ temporales peccatorum adhuc remanentes; verum *c)* quia integra pœnæ temporalis solutio vires humanas et breves dies hujus vitæ excederet, superest Christianis fiducia et recursus ad thesaurum meritorum congestum a Sanctis, immo ab ipso Sanctissimo Redemptore Sanctorum, ut inde obtineant relaxationem pœnarum temporalium vel in toto, vel in parte. Sed *d)* quod quis, quomodo, quantum obtineri queat, hoc negotium est Ecclesiæ, seu sacerdotii, cui Deus super his discernendi potestatem contulit nullis temporibus, quibus contigit lucrari adeo efficacem et adeo exoptatam pœnarum temporalium remissionem, seu indulgentiam. Utinam milleni, prout ardenter a Deo efflagitamus, indulgentiam lucrentur!

Itaque sedulo distinguenda est culpæ remissio, seu justificatio, seu redintegratio in statum gratiæ Dei a remissione pœnæ, quæ vel jam pridem justificatum tamdiu obligat, donec operibus christiana ex charitate profectis, mortificatione, variisque afflictionibus et infortuniis pie toleratis

pœnam debitam expungat. Pepercit olim Deus clementissimus fratribus Josephi, pœnam tamen non potuerunt effugere, licet propter Abraham, Isaac, et Jacob et etiam propter pium fratrem tempus probationis et purgationis contraxerit. Similiter veniam obtinuit seditiosa turba Israelitarum ad intercessionem Moysis et Aaronis, nihilominus subiit plagas multiplices, immo etiam mortem in deserto. Facunda exempla sunt David, Jonas, tribus Juda captiva migrans Babylonem et in acie adversus Antiochum perempti bellatores. Hi omnes veniam quidem obtinuerunt a Deo, sed pœnalem quoque subiere legem post veniam.

Quemadmodum pater filios suos erudit et corripit, ita Pater cœlestis amanter quidem recipit filios prodigos revertentes, sed non sine onere satisfaciendi Justitiæ ab æterno ordinatæ, si non integre, saltem pro virili. Cor autem contritum donatur aliquando a paterna Dei clementia temporalium plena remissione pœnarum. Verum quia hoc pendet a Dei beneplacito, ideo nemini super hac re datur plena

certitudo. *Petrus* post negationem in pristinam gratiam restituitur, at idem percipit, se debere fletum claudere simul cum oculis.

In antiqua Ecclesiæ disciplina impertiebatur rite pœnitentibus absolutio, atqui simul graves injungebantur pœnitentiæ, quippe quæ erant pœnæ temporales juste promeritæ. Hæc est una de primariis Ecclesiæ doctrinis, quæ innumeris documentis, universalibus conciliis, pontificiis constitutionibus, tot, tantisque corroboratur exemplis, quot utriusque sexus pœnitentes numeramus. Nos sane miseri homines culparum pondere onusti, quantumvis pœnitentiæ studium fovere videamur, nihil minus indulgentia indigemus quasi levamen pœnarum solvendarum, quæ probabiliter ultra vires physicas et ultra vitæ curriculum nos manerent.

Etiam in puris animabus, quibus parum remittere oportet, novam, eamque non modicam cernimus utilitatem, scilicet duplicare et etiam triplicare meritum beatitudinis, seu ut pii loqui consueverunt, *gradum gloriae coelestis adipisci altiorem.*

Nunc autem convertamus sermonem ad id, quod supra promisimus, scilicet omni tempore et nominatim sub lege Mosaica Deum concessisse indulgentias. Cuipiam videri posset difficilius in veteri, quam in novo testamento indulgentiarum usum investigare et invenire. Verum non ita est, si admittamus unum eumdemque esse Patrem cœlestem, qui pari bonitate omnes homines gubernat et nutrit; qui unam semper eorum salutem, nunquam vero eorum perditionem, tormenta, neve pœnas vult, si primum isti de fide, pietate et pœnitentia meliora promittant; qui licet quod attinet revelationes pedetentim quasi processerit erga humanum genus, credere tamen non licet minus paterne se gessisse cum primis, quam se gerat modo cum secundis. Si enim admittimus, quod nemo negare potest, scilicet Ecclesiam Fidelium, Communionemque Sanctorum antiquitatem suam cum mundi machina consignare, tunc securissime admittere poterimus, indulgentias pro vero pœnitentibus dimanasse a *Patre omnium* (Eph. 4.) *tam primo mane* (Matth. 20.) quam *novissima hora mundi* (1. Joan. 2.)

Antequam allegemus argumenta decisiva, figat, quæso, obtutum suum quisque in cœlum. Quam venustus, magnificus, sumptuosus est thronus Altissimi! Nonne annuit gratiam et veniam? Nonne animæ prius erranti, nunc vero revertenti indulgentiam largietur? Maxime quia nunc, quantum per gratiam vires humanæ attingunt, illa anima currit, luctatur, suspirat, sudat et alget, ut multa, aut omnia in hac vita expungat debita, quæ immemor suæ obligationis contraxit. Novit sane, quoniam redditura est in rigore rationem divinæ justitiæ, mox ut arbor ceciderit. Hic gratia usque viget, exclamat sancto perculsa timore, illic mera justitia. An non dignam clementia, seu indulgentia dicemus oviculam hujusmodi, qua cum sunt indicia veræ conversionis et pœnitentiæ? An humilis fiducia in divinum Mediatorem et in Communionem Sanctorum tam antiquorum, quam præsentium et quam futurorum, seu fratrum seu sororum nullam obtinebit pœnarum remissionem? *Nonne qui seminant in lacrymis, in exultatione meteut?* Ps. 125. Utique, scriptum est enim: *Nullus speravit in Domino et*

confusus est (Eccl. 2.) Qui a via peccati ad Deum se convertit, a Deo sustinetur et fulcitur, consolationibus repletur et corroboratur in arduo, quod secum et cum mundo suscipit, certamine. Fideles Christiani hujusmodi fiducia intuentur cœlum, sperantque firmiter vel minima vestigia reatus proprii deletum iri, quia virtute fidei animati respiciunt superabundantem communionem Sanctorum in *Deo Jesu* (Habac. 3.)

Liceat nobis vocabulum benedictionibus refertum: *Sanctorum communionem* sæpe sæpius pronunciare. Vos primum, dilectissime grex! alloquimur, quippe qui estis peculiaris nostra portio in vinea Domini; deinde convertimus nos ad vos omnes, quibuscum in Domino Jesu conjungimur. Nos hic repetimus tantum, quæ fides apostolica, quæ excellentissima omnium Ecclesiarum Christianarum, quæ vicarius Christi in terra omni tempore docuit, sanctoque cum gaudio nationibus evangelizavit; ea hic repetimus cum tam ardenti desiderio, ut in universa terra audiatur vox nostra. Quapropter asserimus, in unico illo articulo: *Credo Sanctorum*

Communionem contineri inscrutabile pelagus solatii, gaudii atque salutis. Utimur verbis magni Apostoli Pauli hac de re scribentis pulchre juxta ac dilucide. *Illuminatos* (præbete) *oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis vestrae et quae divitae gloriae haereditatis Ejus* (pro vobis) *in Sanctis* (Eph. 1.) *Vos estis membra civitatis Dei viventis, Jerusalem coelestis et multorum millium Angelorum frequentiae* (hierarchiæ). *Vos estis cives Ecclesiae primitivorum, qui conscripti sunt in coelis a judice omnium Deo . . . et testamsnti novi Mediatore Jesu* (Heb. 12.) *Turba magna, quam dinumerare nemo potest, est eorum, qui in omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis stant ante thronum et in conspectu agni, qui Deum laudant, amicti* (nuptiali veste æterna) *vestimentis albis, quique habent phiales aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum* (Apoc. 4 & 5.) id est: merita et intercessiones Sanctorum, quæ sunt *illa incensa multa de orationibus Sanctorum omnium*, quorum *fumus* in odorem suavitatis *ascendit* de *manu* Angeli *coram*

Deo (Apoc. 8.) Hi enim sunt, qui aliquando fratres carnis nostræ *venerunt de tribulatione magna* et *communicantes* (quondam) *Christi passionibus* (nunc in cœlo) *gaudent* (1. Pet. 4.)

8.

Adami et generis humani lapsus simul ac venia denuo oblenta.

Amaros quidem affert quotidie fructus in mundo lapsus Protoparentum Adami et Hevæ, immo humanum genus irreparabiliter totum perdidisset, si ira Creatoris ad misericordiam et quidem ad exquisitam misericordiam se non inclinasset. Quamquam nostris protoparentibus necesse fuerit paradiso exulare, multo sudore terram excolere, mortalitatis miseriis subjacere, noluit tamen benignus Dominus tædio præsentium calamitatum metuque futurarum eos opprimere; immo ut etiam de vita terrena nonnihil gauderent, jucundis promissionibus eorum animas erexit, denuo confirmavit dominium super cuncta animalia terræ, ac benedictione filiorum in omne tempus frui jussit;

Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori ejus tunicas pelliceas et induit eos (Gen. 3.) Mira Deitatis ad hujusmodi minutias sondescendentia post tam grandem protoparentum culpam! Sed ex hac ipsa paterna dignatione quis non arguet multarum temporalium etiam relaxationem pœnarum? Neminem latet, Adamum et Hevam multo majorem meruisse pœnam, quam eam, qua castigati fuerunt. Quod jure merito fidei eorum tribuimus, fidei inquam, quam habuerunt in promissam redemptionem generis humani per Eum, qui caput serpentis contriturus erat. Miserationes Domini paradiso amisso confestim cinxerunt ope et favore primos conjuges in orbe.

Placato Numine licet mediis in tribulationibus et luctis hilares cœlum respiciebant ac gaudentes in spe futuræ melioris sortis, id est restitutionis in integrum quietæ æternæque vitæ pro se et pro posteris in nomine Illius, *qui per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imgerium,* id est *diabolum* (Heb. 2.) *Superexaltavit enim misericordia judicium* (Jac. 2.) *Quid enim erat homo, qui adeo profunde*

ceciderat, *ut Deus tam gratiose memor esset ejus* (Psal. 8.) *aut filius hominis*, ut tot tantisque misericordis *visitaretur?* Hæc nostrorum protoparentum historia et vita energice demonstrat, eos obtinuisse non solum primam, sed etiam magnam, immo maximam indulgentiam contentam in promissionibus Mediatoris, quæ non solum æternam vitam, sed hoc etiam mortalis vitæ stadium spectabat. Hoc modo initium habuit *indulgentia* ab origine mundi. Atque ita est et perseverat esse hæreditas eorum, qui ut parentes nostri pari fide et spe animantur.

Non mediocris exhibita fuisset misericordia filiis hominum, si diu agitati laboribus doloribusque gratiam tandem et condonationem sui reatus impetrassent. *Nonne sumus natura filii irae?* (Eph. 2.) Sed ecce impræsentiarum quam benigne, quam paterne, et quam amabiliter de sorte hominium statuitur! Quotusquisque non gaudet se vivere, si sequatur rationem et non prorsus religionem negligat, quantumvis plura vitæ instantia obnubilent dies ejus? Quis denique nescit, hæc tempora-

lia specie potius, quam re vocari mala? Non solùm cessarunt esse mala, ex quo fides in Christo fundata est, sed etiam conversa sunt in instrumenta pietatis et meriti. Morti ipsi terrendi vis adempta est, Christianis est mitis sopor, est simplex transitus a tempore ad æternitatem, unde expergiscimur in vitam æternam: *Gloriamur in tribulationibus* (Rom. 5.) et morte. Quid nobis officit *tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* (Rom. 8.) Ita semper persuasum fuit Patribus; ita semper docuit Ecclesia catholica.

Balsamum videtur in corda humana stillare hæc plena solatii cogitatio, scilicet Pater cœlestis statim initiis mundi largitus est, o bonitas! indulgentiam, et illam quidem planariam! Itane primitiæ fidelium, sicuti eorum seri nepotes, frui potuerunt beatificis largitionibus illius thesauri, quem nobis Ecclesia conservat, atque pro necessitatibus et capacitate suorum filiorum identidem reserat? Nec minus, nec plus quam indulgentia fuit illa,

quam æterna misericordia, non obstante culpa originali, nobis omnibus in *mensura conferta* (Luc. 6.) impertiit.

An non prima illa culpa sufficiens dedit æternæ damnationis fundamentum? Pœna vero, quam mortales nunc luunt, nonne per grandem indulgentiam reducta est ad modicam? Vita enim nostra complectitur peregrinationem, certamina, sæpe etiam dolores, quia etiam corona in cœlesti patria, palmaque victrici dignos nos facere necesse est. Sed peregrinatio, certamina et dolores homini relinquuntur non pro pœna tantum, sed magis pro lucro. Quoniam igitur in hac materia nulla lis esse potest, nisi tota creationis historia simul cum fide funditus convellatur, eo ipso evincitur, quod docemus, scilicet indulgentiam esse tantæ antiquitatis, quantæ est orbis. Ideoque quam probrosa est inadvertentia, vel quam iniqua est assertio eorum, qui dicunt: Indulgentia est ludificatio et impostura seu otium, seu quæstum affectans mercenariorum. Hoc ideo seria fronte dicitur, ut certi quidam homines quiescant tandem ad vocabulum: *Indulgentia*, vel horrere,

vel indignari. Haud ægre admittimus, olim sub sancto hujus doctrinæ clypeo abusus irrepsisse et etiam nunc irrepere posse. Sed væ nobis et universo mundo, si propter accidentalia tubercula a vigili oculo faciliter submovenda privaremur solatio, emolumento universali, quod nos meliora, immo optima sperare jubet.

9.

Argumenta V. T. Luculenta.

Ne tamen hæc encyclica limites suæ materiæ, seu objecti prætergrediatur, succincte a nobis adducendi sunt loci Veteris testamenti.

Filiorum filiarumque corona circumdati vivebant læte protoparentes, quando *Cain* et *Abel* juxta præscriptam verosimiliter a Deo methodum et sicut apud patrem suum Adamum videre potuerant, obtulerunt dona majestati divinæ, diversa tamen dispositione animi. Cain avaritiam, Abel autem pietatem cum donis super altare deposuit. Dona igitur primi utpote vilia et parca displicere debuerant. Sed Abel optima quæque obtulit cum fide, id Deo

placuit; *et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus* (Gen. 4.) Hoc etiam in facto vestigia indulgentiæ agnosci queunt. Dei complacentia sine benedictione esse non potest. Quid enim in suffitu melius adhibuerit Abel, quam orationem, ut Deus imprimis condonarent peccata et pœnam commeritam relaxaret? *Abel justus* (Math. 23.) homo tamen erat; quocirca inter homines, *qui dicit se peccatum non habere, mendax est* (Joan. 1.) Abel obtulit in fide, id est in spe Messiæ venturi, et ideo accepit *signaculum justitiae fidei* (Heb. 4.) in usum et utilitatem subsequentium generationum, licet jam dudum in pace requesceret.

Similia possumus affirmare de Henoch, Noe, Melchisedec, Abraham, Isaac et Jacob et de eorum sacrificiis. *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum* (Eccl. 44.) *ut det gentibus poenitentiam Noe . . . justus in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, id est; misericordiæ divinæ objectum, ne omnia pessumdarentur. Propter Abraham obtinuerunt Isaac, et omnes tribus Dei gratiam, veniam et benedictionem; nam *benedictionem omni-*

um gentium dedit illi (per illum) *Dominus* (ibid.) Per fidem facti sunt omnes hæredes justitiæ, qui nobis essent exemplo et incitamento, ut iisdem mediis utamur ad adipiscendum plenum justitiæ effectum, scilicet ut cum gratia sanctificante etiam pœnarum indulgentiam consequamur. Sacrificium Noe habuit procul dubio annexam, Deo authore, veram indulgentiam et quidem concessam in omnes futuras generationes, ut scilicet nulla in posterum simili plaga percuteretur terra, quamvis Deus omniscius videret scelera idololatriæ, apostasiæ, perfidiæ.... quibus posteri Chami et Japheti integros mundi tractus replerunt. (Gen. 10.)

10.

Melchisedechi, Abrahami respectu venia datur.

Communio fidelium servorum Dei de progenie in progeniem succrevit numero et pietate. *Melchisedechi* et *Abrahami* sacrificia ita placuere Deo, ut magnæ ex iis redundarent benedictiones. Minime dubitandum est, quin in numero benedictio-

num etiam eæ comprehendantur, quarum maxime interest miseris hominibus. Sunt autem vel plenaria, vel saltem magna remissio pœnarum temporalium, quas toties declinando a via justitiæ homo incurrit.

Quare pro certo sit, fidem indulgentiarum, uti supra indicavimus, antiquissimis temporibus in usu fuisse. Patriarcha *Job* in doloribus submersus suppliciter orat ita passim: *Parce peccatis meis* (14.) *Quis mihi hoc tribuat ..... ut constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* (14.) Ecce ille, qui confitetur peccata, agnoscit etiam tempus quodpiam indulgentiæ et gratiæ. In hoc etiam amicos rogat, ut sibi succurant: *Miseremini mei saltem vos amici mei* (19.) Sed et e contrario, non Job ab amicis, sed amici a Job orante pro se obtinuerunt a Deo veniam pœnarum (42). Quod autem Moyses obtinuerit non semel indulgentiam inconstanti Israelitarum populo, hoc refert S. scriptura adeo clare, ut nihil nobis addendum supersit, nisi ut rogemus locis citatis impendere attentionem. Orabat Moyses et populus duræ cervicis impetrabat primo culparum veniam, deinde etiam re-

missionem majorum et certe meritarum pœnarum; *Si non stetisset in confractione* Moyses (Ps. 105.) nemo unus vidisset terram promissam, sed ad unum omnes plagarum pondere quassati occubuissent. *Sed vidit, cum tribularentur, et audivit orationem eorum* (ibid). Dux Israelis admonebat pœnitentes tribus de fide Abrahami, de Isaaci religione, de Jacobi, Josephi, Patrumque virtutibus; de illo Angelo eorum metationibus præfecto, *in quo erat Dei nomen*, qui sicut Moyses fœdus instauraret et qua magnus Propheta legem novam conderet. Dux Israelis hisce armis semper victricibus usus virgam ultricem detinebat, populoque veniam et indulgentiam pœnæ impetrabat.

Quid aliud sunt sacrificia expiatoria, multiplices dies festi, septimus juxta ac quinquagesimus annus, seu Jubilæus Hebræorum, exercitationes piæ, cæremoniæ et feriæ religioni dicatæ, quibus Deus indulgentiam promiserat? Confessio peccati et ea cum dolore et emendationis proposito requirebatur omnino ab iis, qui sacerrimo templo se sistebant, sed venia a legibus pœnæ antea non obtinebatur,

quam a sacerdotibus concremata fuisset hostia in congregatione populi devoti: *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus ... ad placandum sibi Dominum, ponet manum super caput hostiae et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens* (Lev. 1). Utrum expiatio et propitiatio, quæ hic promittitur, fuerit de cunctis pœnis, an solum de iis, pro quibus offerens hostiam deprecebatur, sacra scriptura pro certo non dicit; sufficiat subesse quamdam Indulgentiam. — Similiter 1° anni mense, peracto festo tabernaculorum ritibus novendialibus, populus credentium celebrare solebat diem solennissimum expiationis suarum prævaricationum. Animadvertere liceat dolorem et propositum, quæ sacrificiis pro peccato præmittere opus erat, ex quo consequitur, in hujus generis hostia de pœnis remittendis agi. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris* (Lev. 16.) *et recordabor foederis mei, quod pepigi cum Jacob et Isaac et Abraham ... Ego Dominus* (ib. 26.) *Expiabit autem sacerdos,*

qui unctus fuerit . . . Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel et pro cunctis peccatis eorum semel in anno (Lev. 16.) Videte communionem fidelium reciproce orantium et ex ea indulgentiam procedentem, per sacerdotium autem dispensandam.

11.

Moyses V. T. promulgat.

Moyses proxime moriturus pronunciavit insuper sequentem benedictionem, quam denuo quoddam indulgentiæ genus esse putamus: *Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est vobis: apparuit de Monte Pharan et cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt et qui appropinguant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Legem praecipit nobis Moyses, haereditatem multitudinis Jacob, que habet salutem, adjutorium et pacem a Domino.* En benedictio et venia populo data ob communionem SS.

Post tot defectiones a Dei famulatu populus Israelis debuisset perire jam a

tempore Judicum, nisi subvenisset eis opportuna remissio propter fidem in futurum Salvatorem, et propter merita Patriarcharum, quos tanquam pacis conciliatores suscepit clementia Altissimi (Jud. 6). Si quando velimus indulgentiam considerare juxta doctrinam ab Ecclesia traditam undique fulgentem, et quasi graphice delineatam, prompti aperiamus librum Psalmorum. Regius Vates synopsim historiæ israeliticæ pulchre pingit numine plenus. Psalmus 77. mœste describit fædifragam gentem tot tantisque delictis famosam et tamen ait, ***Dominus distulit; cum posset ignis accendi in Jacob et ira ascendere in Israel, recordatus est misericordiae suae, ignoscit memor, quod Israel esset haereditas Domini et Israeliticae oves pascuae ejus; quod transgressores erant usque filii Jacob.*** Eo ventum est cum Hebræorum republica, ut Jerusalem sit ***pomorum custodia morticina servorum tuorum*** stravit in plateis gladius inimicorum; facti sumus ***opprobrium vicinis nostris,*** seu populis gentium. In hanc calamitatum voraginem nostra nos crimina præcipitarunt. Verum ***adjuva nos Deus; prop-***

ter gloriam nominis tui et *propter templum sanctum tuum.* Nonne autem *oves pascuae* tuæ ad hoc sejunctæ sunt a gentibus, ut confiteantur nomini tuo? *Ut in generationem et generationem annuntient laudem tuam?* (Pl. 78). *Deponet Deus virgam furoris et loquetur pacem in plebem suam et super Senctos suos* (Ps. 84).

Quamvis Israelitæ rei essent erga Deum ob suum rebellem et ingratum animum, misericordia et pax repente eos visitabat, quamprimum ad Deum convertebantur corde contrito, hocque fiebat intuitu Jacobi, Moysis, Aaronis, Samuelis et cæterorum Sanctorum, immo etiam intuitu fœderis olim initi (passim in Psalmis) ergo propter *communionem Sanctorum;* propter fidem in Messiam Redemptorem. *Communionis*, ait Paulus Heb. 13. *nolite oblivisci*, quæ certe in *sanguine testamenti aeterni* fundatur.

Quam frequenter David se ipsum, suumque afflictum populum solatur, his fere verbis passim: *Deus*, inquit, *pactum pepigit cum Israel; pacem annuntiat; peccata nostra, dummodo recedamus a via mala, non memorabuntur a Deo ul-*

tionum; miserator et misericors Dominus et miserationes ejus super omnia opera ejus. Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine! sicut jurasti David in veritate tua? Et memor fuit testamenti sui Deus et poenituit Eum secundum multitudinem misericordiae suae. Alludens autem David clarius communioni Sanctorum dicit: *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua.*

Eadem antiquorum fides illustrior apparebit illi, qui sequentia cordis suspiria ex arce Sion prolata meditando repetet: *Miserere mei Deus! secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationem tuarum dele iniquitetem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam* (lacrymis perpetuis) *cognosco. Justificeris in sermonibus tuis; rectum est enim verbum tuum: Vincas, cum judicaris; rectum est judicium. Asperges me hyscpo et mundabor;* gutta enim tuæ misericordiæ cor meum mundet, atque confortet *et super nivem me dealbet. Auditui meo dabis gaudium et*

laetitiam et exaultabunt ossa humiliata; si verbum pacis et remissionis super me pronunties. *Respice sacrificium cordis mei contriti, Sion etiam atque Jerusalem* (Ps. 50). David hanc orationem fundebat, postquam Propheta Nathan (2. Reg. 12) eum certiorem fecerat, Deum abstulisse peccatum ejus. Nihilomnius idem Propheta pronunciat Davidi pœnas multas. Ad has persolvendas igitur invocat humilis rex a Deo miserante indulgentiam nixus fide promissionum, quæ postant 2. Reg. cap. 7 ...

Similia sensa patefacit auctor Psalmi 129: *De profundis clamavi ad Te, Domine. Si iniquitates observaveris Domine*, tam quoad numerum, quam quoad gravitatem, *quis sustinebit? Sed apud Te propitiatio est. Sustinuit et speravit anima mea in Domino* cum Israele, seu cum vera Ecclesia in verbo Domini, seu ex fide, quam nobis infudisti. Quid hæc fides docet? *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud Eum redemptio.* Itaque hujus misericordiæ motu *Ipse* Deus *redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Hæ voces animæ colliquescentis dolore et pietate præsupponunt reconcilia-

tionem cum Deo; quis enim ita orare potest, nisi in gratia et per gratiam? Quid igitur petit tantis precibus et singultibus? Sane non aliud, quam indulgentiam a pœnis temporalibus, quæ supersunt solvendæ; prorsus eam indulgentiam, quam hactenus descripsimus.

12.

Templi Jerosolimis consecratio.

Pergamus modo ad sanctum splendidumque vestibulum templi Salomonis conquirendi ergo fidem indulgentiarum, earumque fructus. Quam disserte, quam efficaciter de iis loquitur Salomon! Sacri fœderis arca in novi magnificentiam templi invecta, primum Encæniorum festum celebratum convenerunt Salomon, Sacerdotes, Seniores Israelis, Principes, Levitæ et reliquum vulgus. Genuflexi et velata facie orantes laudabant et glorificabant Dominum Deum Sabaoth, cui domus illa dedicabatur. Tunc rex in medio Sacerdotum coram altari, et coram omni Ecclesia Israelis, *utroque genu in terram fixo et manibus in coelum expansis*

(3. Reg. 8, 54) voce magna dixit: *Respice ad orationem servi tui, Domine Deus Patrum nostrorum, in domo, quam voluisti aedificari nomini tuo. Exaudias propitius deprecationem pouli tui Israel in loco isto. Si peccaverint Tibi et reversi fuerint ad Te in universo corde suo, propitiaberis populo Tuo, qui peccavit Tibi et omnibus iniquitatibus eorum una cum poenis promeritis*, quarum maxima erat amissio terræ promissæ: *Si peccata populi*, prosequitur Salomon, *siccitatem, famem, hostium incursiones, aliasque calamitates adduxerint, ostende eis viam bonam* (reconciliationis) *per quam ambulent, ut iterum pluat, et arva dent suos fructus. Si qua anima afflicta cor suum in conspectu tuo effuderit, exaudi, quaeso, suspiria filiorum Israel in loco isto. Propitius esto de coelo, o scrutator cordium! cunctis, qui egerint poenitentiam in toto corde suo. Insuper et alienigena cum venerit et oraverit in loco isto Nomen sanctum tuum, tu exaudies in coelo et facies omnia, pro quibus invocaverint Te, ut discant universi populi terrarum, sicut populus tuus Israel et probent bene-*

nedictiones domus Tuae. Quodsi filii Israel peccaverint Tibi (non est enim homo qui non peccet) et iratus tradideris eos inimicis suis et captivi ducti fuerint in terram inimicorum. Conversi deprecati Te fuerint et oraverint Te contra viam Terrae suae, quam dedisti patribus eorum, et civitatis, quam elegisti, et templi, quod aedificavi nomini Tuo, o Miserator! propitiaberis populo Tuo poenas deprecanti et minues poenas suorum peccatorum; brevia tempus promeriti opprobrii. Dabis misericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis, atque in libertatem vindicent et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum (3. Reg. sparsi 1). *Aperiantur, quaeso, oculi tui et aures tuae intentae sint ad parcendum propter orationem multam, quae fit in loco isto* (2. Par. 6). *Tunc sacerdotes tui induti veste salutari et Sancti Tui exultatione exultantes* (Ps. 131.) *annuntiabunt de die in diem salutare tuum et misericordias David servi tui. Populus enim tuus est et haereditas tua sicut locutus es per Moysen servum tuum*

(3. Reg. 8.) Ita Salomon Christus Domini geneflexus oravit in conspectu omnis Ecclesiæ Israel et dedicationem in millibus multis hostiarum 7. diebus complevit. cf. Psl. 77.

13.

Prophetarum eloquia indulgentiam promulgant, v. g. Isaiae.

Uti olim Salomon, ita Prophetæ antiquiores et juniores locuti sunt de illa scaturigine abundanti et benedicta, ex qua venia et clementia manabat peccatoribus contritis, qui Deum invocabant pro remissione pœnarum temporalium, quique confidebant in pacto Domini, scilicet qui credebant in futurum Salvatorem et Communionem Sanctorum. Attingere libet inter multos nonnullos textus, quo magis magisque stabiliatur positio, ideam et realitatem indulgentiarum una cum religione Patriarcharum initium et progressum habuisse. Siracides appellat Isaiam *Prophetam sanctum, magnum et fidelem, qui spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion* (Eccl. 48.) *Isaiam*, quem etiam Ecclesiæ Doctor S. Hierony-

mus evangelistam potius, quam prophetam dicit, audiamus, quomodo adhortetur fideles in ipso sui ardentis sermonis exordio (Is. 1.) „*Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: Quiescite agere perverse; discite benefacere; quaerite judicium; subvenite oppressio, pupillo et viduae. Et venite, dicit Dominus,* (in Sion.) *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur:* (et si fuerint nigra ut carbones extincti) *velut lana alba erunt.*" Animadvertendum est, quod quum Propheta loquatur hoc loco de integra expiatione, aut remissione, id haud intelligi sine indulgentia pœnarum, siquidem Deus ignoscendo peccata vere pœnitentibus, non solet simul remittere pœnam temporalem, quam meruerunt. Secus ac hic fit.

Prosequitur: „*Quaerite Dominum* (Is. 55.) *dum inveniri potest: invocate Eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas; et revertatur ad Dominum et miserebitur ejus et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*". Paulo superius Isaias hortatus erat gentem suam, ut factas

Patribus promissiones jam a temporibus Noe, pactum quoque, quod Dominus cum Abrahamo et Moyse percusverat, ac si indicaret thesaurum ad solvenda debita præparatum, et ob oculos poneret.

Præmissa vivace prophetia de conversione gentium et de diffusione Ecclesiæ, concludit verbis consolatione plenis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis* (non litigiosis) *misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem* (libertatem); *ut praedicarem annum placabilem Domino, ut lugentibus Sion* (veniam et consolationem) *non cinerem, sed coronam; non luctum, sed oleum gaudii, et pallium* (charitatis) *pro spiritu moeroris darem* (Is. 61). Quominus hæc verba queant adaptari Isaiæ, obstat ipsius Christi Domini auctoritas (Luc. 4.) et totius capitis contextus. Quæ verba adducuntur eo a nobis, ut indulgentia a pœnis symbolice expressis per cinerem, luctum, mœrorem indicetur esse in Sion, id est in Ecclesia.

14.

Jeremiae, Ezechiel &c.

Jeremias vir Dei præfuit multis annis muneri prophetico; luctuque et lacrymis ad resipiscentiam et pœnitentiam gentem degenerem incitabat; minas et preces; præsentem et futurum statum; pœnam et veniam iis inculcabat, ut eos ad fidem pietatemque avitam revocaret (Jer. 3 et seq.) Deus, qui genti veniam nunciari jussit, abstinuisset a pœna infligenda, si populus resipuisset. Sed propheta genti fuit ludibrio, ideoque in pœnam involvit eos pudenda captivitas. (Baruch 1 et 2.) et tunc calamitate et miseria oppressi in Babylonia pœnitentiæ se dederunt Judæi. Quod cum sæpissime prædicaret Jeremias, non omittebat tamen adjicere vaticinium de indulgentia universali (Jer. 33.) *Emundabo illos*, dicit Dominus, *ab omni iniquitate sua,, in qua peccaverunt mihi et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum* &c. *Adhuc audietur in loco isto vox gaudii* &c.

Revera, exactis 70. annis, sacrificium, sacerdotium et altare restitutum monstrarunt diu expetitam indulgentiam Judæis

conversis et læte remigrantibus in Jerusalem. Spem abjecissent, imo plane impossibile judicavissent evadere adversam sortem, nisi spem eorum aluisset fides in divinis promissionibus, in communione Sanctorum fundata in spe Redemptionis humanæ, et in orationibus et sacrificiis justorum et sacerdotum (Baru. 1. 2. 3.) Videre est heic idea, una cum existentia indulgentiæ veteri, vulgatoque facto historico comprobata. Eam considerate, Dilectissimæ Christi oves! eodem cordis dolore vobis persuadentes, indulgentiam lucrandam esse mediante fide in Christum Salvatorem nostrum et mediante communione Sanctorum.

Populus Israelis sibi jam pridem arcessiverat reprobationis pœnam. Quapropter gratiæ tribuendum, quod hæc pœna temporalis tamdiu fuerit dilata; majori gratiæ tribuendum est, quod captivitatis tempus breviatum fuerit, et quod eo durante mitiores plagæ inflictæ fuerint. Vere salutifera indulgentia tam pro universis, quam pro singulis! Fere coævus *Ezechiel* inspiratus Propheta concinit cum Isaia, Jeremia et Baruch dicens Cap. 18: „*Si*

impius egerit poenitentiam, ab omnibus peccatis suis et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam (juste, probeque se gesserit) *vita vivet. Omnium iniquitatum ejus non recordabor* (et solam ejus conversionem memorabo *Convertimini* (filii Israel). *Dominus non vult mortem impii* (Cap. 33.) *sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel? Si impius egerit poenitentiam a peccato suo* (ab opressione destiterit, damna illata reparaverit) *rapinam reddiderit et in mandatis vitae ambulaverit, omnia peccata ejus non imputabuntur amplius*".

Animadvertendum est, hic agi præcipue de pœnis temporalibus, quæ tempore captivitatis irruerunt in Judæos. Consolationes autem S. Prophetæ bene intellectæ sunt præcise vaticinia copiosæ indulgentiæ ex infinito thesauro divinarum miserationum et usque quaque respiciunt templum et sacrificia, quæ Moyses figura venturi Messiæ coordinaverat. Siquidem fœdus cum Deo percussum, id est: religio cum fide; oratio populi congregati et

merita piorum majorum i. e. communio Sanctorum; altaria levitica, ex quorum sacrificiis indulgentia temporalium pœnarum erat sequela, hæc utique sunt fundamenta veræ indulgentiæ. Qua alia ratione explicarentur superiores exhortationes ad conversionem et pœnitentiam, quæ tam frequentes et concordes occurunt in S. scriptura? Qui prophetas attente percurret, eidem suborietur cogitatio, meras fuisse Dei indulgentias, quæ pluries populum Israelis ab interitu liberarunt, etsi ejusdem populi scelera innumera et enormia sæpenumero interitum proxime accerserent. Hæc viderunt quique doctissimi, piissimique Patres, qui super Israelitarum vicissitudines serias instituerunt meditationes, inter quos *S. Justinus Martyr. Clemens Alexandrinus, SS. Cyprianus, Eligius, Augustinus, Joannes Chrysostomus, Leo, Gregorius* &c. &c. cf. Psl. 77.

Eamdem hanc indulgentiam toti genti universim præstitam annuntiabant Dei mandato etiam singulis vere pœnitentibus. Utrum hæc indulgentia fuerit absque effectu, jure quis dubitabit? quin privatis hominibus communicaretur, postquam toti

pœnitenti civitati simul ignovit pœnas temporales. Deus benignus est Pater singulorum, æque ac universorum, potens et dives in misericordia pro uno, ac pro universitate hominum.

15.

Danielis.

Audiamus adhuc divina charitate incensum *Danielem*, qui in terra peregrina suis captivis contribulibus prophetavit ante Christum annis 580 circiter. Hic orat Azarias unus de tribus heroibus, qui magnanimitate et fiducia in Deum triumphavit in fornace babylonica de flammis sævientibus: *Pecavimus et inique egimus recedentes a Deo. Praecepta tua non audivimus* (veritas enim sunt). *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum. Justus es in omnibus, quae fecisti nobis* (sed Domine) *ne, quaesumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicens, quod multiplicares semen eorum, sicut stellas coeli.*

Domine! imminuti sumus (nedum multiplicati) *plus, quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie. Non est in tempore*, (loco) *hoc neque sacrificium, neque locus primitiarum* (altare) *ut possimus invenire misericordiam* (Domine Deus) *in animo contrito et spiritu humilitatis* (reliquis deficientibus) *suscipiamur. Sic fiat sacrificium nostrum* (vice) *holocausti arietum et taurorum. Quoniam non est confusio confidentibus in Te. Multae sunt misericordiae tuae.*

In capite notatu dignissimo, in quo Daniel lumlenter Salvatoris mundi adventum describit, solatur pariter captivos spe libertatis proximæ et reditus in patriam: *Posui faciem meam ad Deum Dominum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco et cinere... Avertatur, obsecro ira tua a civitate Jerusalem; et* reliqua fere in hunc sensum: *Minue, quaeso, tempus nostrae castigationis. Nihil quidem afferre passumus, unde nos coram Te purgemus. Novimus, quae patimur, a Moyse nobis fuisse praenunciata, sed ea oblivioni tradideramus nos insensati peccatores: Propter peccata enim nostra et*

iniquitates patrum nostrum stillavit maledictio et detestatio super Jerusalem, et montem Sion. Nunc ergo exaudi, Deus Noster! orationem servi tui et ostende faeim tuam super sanctuarium, quod desertum est, propter temetipsum. Aperi oculos tuos et vide desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est nomen tuum. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Placare Domine, ne moreris (ostendere gratiam et misericordiam sanctæ civitati et poulo tuo Domine) Dan. 9.

Non solum Danielis suscepta fuit oratio, quod attinet restaurationem urbis et templi Jerosolymitani, verum etiam quod attinet nobilissimum dierum, in quo filiis Adami singulis et universis infinita misericordia, benedictio æterna, fons salutis inexhaustus, et redundans indulgentiæ thesaurus reserandus erat: „*Usqúe ad Christum ducem* (nostrum) 70 *hebdomades annorum sunt, tunc chirographum debitorum delebitur*, seu delebitur iniquitas, *adducetur justitia sempiterna* (ut regnet) *implebitur prophetia* (seu quidquid Deus

per prophetas promisit) *et ungetur Sanctus Sanctorum*" (ibid).

Ut primum ex babylonica captivitate Judæi in patriam remearunt, imprimis dederunt operam restaurandis pro virili muris civitatis et templi. Pari studio caverunt confestim a permixtione sanguinis cum paganis mulieribus, utpote non parum noxia bonis moribus, deinde in oratione et jejunio Deum placare studuerunt. Interea Levitæ glorificabant Deum pro magnis beneficiis æque ac pro indulgentia, quam similem a sæculis multis non acceperant. Memoravimus *Indulgentiam*. Nam quid erat illa condonatio, qua Deus relaxabat populo scelesto, contumaci et duræ cervicis pœnas temporales intentatas, exterminium totale, vel saltem exilium diuturnum, mortem aliasque plagas? Quid erat illa misericordia statim exhibita revertentibus a malo, quam indulgentia gratis concessa ex thesauro S. testamenti, seu ex promissione hinc et fide illinc in Salvatorem mundi et in Communionem Sanctorum? *Filii Sanctorum sumus* .... (in Deo speremus et miserebitur nostri) *Benedictum est nomen tuum, Deus patrum*

nostrorum . . . . non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exultationem infundis (Job. 3). Hæc oratio, quæ erat in ore omnium eorum, qui ab antiquo poscebat gratiam et veniam, exprimit fidem existentiæ et spem efficacis alicujus medii instituti ad remissionem pœnarum temporalium, scilicet indulgentiæ. Hoc videtur tanta luce, ut supervacaneum existimemus alia argumenta congerere (facili enim negotio fieret) et huc adducere.

Respice tempora praeterita, ait S. Clemens Romanus, *poenitendi spatium Deus non denegavit ulli unquam clamanti; ita in generatione Noe, ita in Ninive. Misericors ipse magnas remittit poenas* (1. Cor. Nro. 9).

Quandoquidem lapsos in culpam hortati sumus, oleumque salutis in ulcera insolita et multa infudimus, infra nostram obligationem erit adjungere singillatim conditiones, quas ad lucrandam indulgentiam prævie et comtemporanee observare oportet. Tenemur argumenta gravia, decisiva et consolatoria quam quæ maxima, eaque

ex N. testamento prolata anticipato referre. Hujusmodi auctoritates convincent unumquemque cordatum auditorem et lectorem circa constantem fidem indulgentiarum in Ecclesia Dei et circa earumdum usum.

16.

V. T. comparatum cum N. T. respectu divinae indulgentiae.

Si in monumentis populi Israelitici, in primis annalibus mundi et in historia humani generis ab orbe condito usque ad Abrahamum et Moysem, ab hoc autem ad Christum divina misericordia et indulgentia erexit et fulcivit successive integras gentes et singulares personas in peccata prolapsas, ne perirent, neve æterno cum dedecore et infamia inciderent in manus inimici irreconciliabilis eos depredantis ob sua crimina: Si Pater omnium effudit imbres clementiæ et gratiæ suæ jam ab antiquo propter fidem in Salvatorem et propter reciprocam omnium piorum in una Dei civitate unionem, si demum nostris avis pro transgressionibus multis et

magnis in loco designato et in virtute hostiarum legalium concessit reconciliationis gratiam, plenamque indulgentiam pœnarum, immo et ipsius excidii; Annon idem Deus Pater, infinita atque æterna charitas minus erit propensus ad gratiam erga seros nepotes? Habitatores orbis initio fuerunt numero pauci, deinde creverunt sensim in numerum stellarum cœli. Jam vero num Dominus omnium temporum et omnium hominum minorem curam de multis, quam de paucis geret? Num civitas Dei, sive regnum Dei in terra, id est societas orthodoxorum, quæ olim constabat solummodo ex aliquot centenis, millenisve capitibus, deinceps in millia millium excrevit, haud paribus cœlitus favoribus ditabitur? Num fortassis antiquum testamentum, quod erat *figura* et *umbra futurorum bonorum* (Rom. 10.) uberius stillabit dona spiritualia, quam ipsa veritas et substantia omnis prædictionis? Num illa religio et Ecclesia, quæ complectitur omnes gentes et omnia regna, quæ credit in unum Deum omnipotentem Creatorem cœli et terræ, quæ credit in Jesum Christum et Spiritum S. obtinebit

secundum locum, posthabita Synagogæ, quod attinet divitias salutis et benedictiones in cœlestibus? Sed quid dico? Num sol in culmine suæ lucis non superabit calore et pulchritudine pallidam adhuc exorientis diei lucem? Num sanctissimus dies Domini, Emmanuel, inquam, humana carne indutus minus serenus erit humano generi, quam fuerit dies Moysis in Sinai, dies Jeremiæ in ruderibus Jerosolymæ, dies Danielis in Babylonia? Deushomo moriens in Golgotha, æternus Unigenitus, victor mortis et peccati, ejus Passio et sanguis, quæ mundo fideli afferunt immensum pretium, thesaurum inexhaustum, infinita merita, nonne tantumdem, imo multo plus proderunt, quam arca Moysis, quam thymiama Salomonis? An non Jesus Christus Dominus et Salvator noster atque evangelium ex cujus ore fluens gaudebit plenitudine donorum spiritualium, neve inducet in orbem omnis generis consolationes spirituales, inter quas est indulgentia, qua ne hebræus quidem defraudabatur anno jubilæi? Sed in nova lege jubilæus respicit spiritum, scilicet dolore et pœnitentia lugentem erigit, pu-

sillanimum confortat, viamque fervoris ingredientem confirmat. Quis adhuc de hac re ambiget?

Ergo verissimi eventus historici juxta ac luculentissima S. scripturæ oracula convincunt quemlibet a studiis partium alienum, quod Deus ab origine mundi et serius filiis Abrahami et tribui Juda, quandocumque ad pœnitentiam reverterentur, relaxavit cum venia culpæ magnam partem pœnæ modo majorem, modo minorem et non raro totam pœnam ex impulsu suæ misericordiæ. Quæ cum ita sint, jure statuere possumus tanquam veritatem certam: „*Ecclesiae Christi traditam esse potestatem ordinatas dispensandi indulgentias vere poenitentibus; et quae conceduntur indulgentiae, nobis esse proficuas et salutares*". Verumtamen nedum nobis satisfecerimus praeallato ratiocinio sane valido, ut potius petamus facultatem de innumeris, quæ adduci possent, argumentis nonnulla adducendi, ne literæ nostræ pastorales plus nimio distineant auditores et lectores.

17.

Jesus, Salvator mundi, fons patulus omnis benedictionis et indulgentiae.

Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio (Jesu, qui tollit peccata) Heb. 1. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie et juste et pie vivamus in hoc caeculo expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum* (ad Tit. 2).

Non frustra unigenito filio Dei, antequam susciperet naturam humanam, Nomen *Jesu* impositum est. Hoc quippe nomen sanctissimum significat, Liberatorem, Redemptorem, Salvatorem, Ducem, Consolatorem, Defensorem, Benefactorem, (Matth. 1. Luc. 1.) Quis non fatebitur in delectu talis denominationis latere scopum proclamandi indulgentiam mundo colla-

tam? Incarnatus Dei filius vult sub hoc respectu esse Redemptor et Salvator; vult esse Pater erga nos liberalis; ex infinitis suis divitiis vult omnibus in se credentibus et sperantibus veniam peccatorum et salvationem largiri: *De plenitudine* (salutis) *Ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* (Joan. 1.) *Per viscera misericordiae Ejus* (ad remissionem peccatorum) *visitavit nos oriens ex alto* (Luc. 1.) *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Nomen *Jesus* non obtinet ædæquatam significationem, nisi in sensu indulgentiæ, quam catholica Ecclesia suis filiis annuntiat. Quoniam nomina, signanter quæ a Deo imposita unquam fuere, significationi suæ correspondere debent, consequens est, Nomen *Jesus* secum ferre omnem benedictionem, omnem salutem, omnem suavitatem, pro iis, qui confidunt in eo: *Deus dedit Illi nomen, quod est super omne nomen*, i. e. nomen summæ tum excellentiæ, tum efficaciæ: *ut in hoc nomine omne genu flectatur coelestium, terestrium et infernorum* (Phil. 2). *Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi* (1. Joan. 3.) In

nomine Jesu claudum Jerosolymitanum fecit sanum exsilire Petrus: *Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus*, dixit Petrus in synhedrio coram summis sacerdotibus, *in quo oporteat nos salvosfieri* (Act. 4.) *praeterquam nomen Domini nostri Jesu Christi Nazareni.* Uti in Jesu plenitudo Deitatis ita plenitudo indulgentiæ.

18.

Is manifeste conspicitur in ipsamet S. Evangelii historia.

Joannes Baptista venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in deserto Judææ dicens: *Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum* (Luc. 3. Math. 3.) scilicet evangelium, quod omnes credentes salvabit et beabit auctorem Ejus, quem Joannes præcedit, et quem turbis indigitabit. *Qui post me veniet*, ait, *non aqua sola in poenitentiam baptizabit: Ipse vos baptizabit in spiritu S. et igni* (Luc. 3.) i. e. infundens cum persona dona divina, quanta quisque capere potest. *Et videbit omnis caro Salutare Dei.* Quem tandem Messiam ambulantem quum detexisset, in-

clamavit alta voce: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. 1.) Jesus Salvator noster ideo venit in mundum, ut salvetur mundus per ipsum (i. e. ut doceatur, purgetur et justificetur) Joan. 3. — In Ejus passione, et morte lytrum mundi continetur. Una sanctissimi sanguinis gutta suffecisset omnibus hominibus pro remittenda culpa et pœna. Verum Ejus sanctissimus sanguis veluti torrens fluxit in capite spinis coronato, ex ejus latere . . . Contemplemur Jesum crucifixum, ut in Eum credamus, ut ut peccatores in Eum speremus et Eum super omnia diligamus. Hodie et assidue amplectamur crucem, in qua nobis venia et indulgentia manat; renovemus quodidie desiderium moriendi in amplexu Crucifixi. Neque sanguis Christi sine indulgentiæ esse potest fructibus.

19.

Fons inquimus a Christo Domino imprimis redundans in communionem Sanctorum. Quem aperiendi adplicandique potestatem accepit Petrus una cum apostolis, sive Senatus Petro-apostalicus.

Non jam igitur investigandum superest, unde Ecclesia catholica invenerit sa-

tisfactionem peccatorum, quando indulgentiam largitur plenariam. In Cruce est grande, plene sufficiens, immo excedens lytrum; hic est thesaurus inexhauribilis; hic est, oviculæ carissimæ! sacerdos et victima simul Deo acceptissimus pro nobis et pro omnibus immolatus. Nonne omnia consummata sunt? Aspicite Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, *aspicite in fide in Auctorem fidei et Consumatorem Jesum* (Heb. 12.) Nolite vel ad momentum vaccillare. Gratia et indulgentia nunquam fluere desinet fidelibus et contritis animabus. Itaque ne tam mirifica spes nostra humanis opinionibus et affectibus turbaretur et hoc ipso inanis redderetur, potestatem, seu claves immensi thesauri suorum meritorum divinus Præceptor concredidit iis, quos Ipse vocat et consecrat, quibus Ipse promisit et dedit Spiritum S. et quibuscum Ipse singulis diebus (Math. 28.) commoratur.

Quum Petrus palam confessus esset divinitatem Jesu Christi, invicem Christus anno circiter uno ante suam passionem fidem ejus remuneratus est promissione: *Super te*, qui Petra es, *aedificabo Eccle-*

siam meam; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (Math. 16.) Similem potestatem promisit ante, deditque Salvator post resurrectionem suam cæteris Apostolis, quando insufflavit et dixit eis: *Pax vobis; accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20.) Paulo post Apostolo Petro commisit curam fidelium, ovium et agnorum; Apostolorum et discipulorum (Joan. 21.) Promissiones divini legislatoris, ut plenæ sint, in sensu pleno summi debent. Hoc autem loco non loquitur aut Propheta, aut Angelus Dei, sed Deus ipse est præco, distributorque gratiarum. Est magnum pacis verbum, quod Ipse suis dedit discipulis; hi autem sunt illa Ecclesia ejus sanguine redempta, super quam Spiritus S. posuit Apostolos, eorumque successores Episcopos *regere Ecclesiam Dei* (Act. 20).

Rationi ipsi vis inferretur, et beneficæ suadibilique veritati perfricta fronte risisteretur ab eo, qui contenderet supra allatas promissiones et collatam postmo-

dum potestatam peccata remittendi non continere remissionem quoque pœnarum temporalium (seu non continere potestatem remittendi quoque pœnas temporales) Potestas solvendi in terra et simul solvendi in cœlo apud Deum Petro et Apostolis a Christo Domino data est absque ulla limitatione. In eorum manus deposuit Filius Dei beatissimum reconciliationis mysterium, quod pœnam et culpam delet: *„Deus nos reconciliavit sibi per Christum ... et posuit in nobis verbum reconciliationis; Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, non reputans illis delicta ipsorum"*. Ita scribit S. Paulus (2. Cor. 5.) *„Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo"*.

20.

Divus Paulus dissertis verbis indulgentiam concessit Corinthio homini.

Ita loquitur Apostolus gentium, qui in eadem epistola perfectam pacem, seu indulgentiam totius pœnæ illi magno pec-

catori Corinthio donavit post pœnitentiam aliquot solummodo mensium: „Deus con- „solatur nos in omni tribulatione nostra, „ut possimus et ipsi consolari eos, qui in „omni pressura sunt. Quoniam sicut ab- „undant passiones Christi in nobis; ita et „per Christum abundat consolatio nostra". (2. Cor. 1.) „Donetis (igitur) illi Corin- „thio ulteriorem pœnam, inquit Apostolus „2. Cor. 2. et consolemini, ne forte abun- „dantiori tristitia absorbeatur, qui ejus- „modi est . . . cui aliquid donastis et Ego: „nam et ego quod donavi, si quid dona- „vi, propter vos (donavi) *in persona Chri-* *„sti*". Ecce hic illustre exemplum ma- gnæ et plenariæ indulgentiæ in favorem iniqui peccatoris Corinthii, qui diu, im- mo usque ad mortem debuisset subjici anathemati ecclesiastico, quæ tamen pœna illi remissa est. Læto et grato animo vir iste suscepit gratiam reconciliationis; u- nusquisque facile conjicit, eum alaeriter studuisse se demonstrare non indignum tanta indulgentia, tam in piis propositis nuncupandis, quam in occasionibus peri- culosis devitandis, quam in constanti vir-

tutis, fidelitatis et timoris Dei ratione melius decernenda. Itaque, filioli mei! præparate corda vestra. Etiam nobis advenit tempus clementiæ et reconciliationis: Nobis quoque SS. Apostoli Petrus et Paulus in nomine et persona Christi Jesu Domini nostri miserunt Roma plenariam indulgentiam. Caput Ecclesiæ et sacerdotii Apostolici, Pater omnium fidelium diminuit nostrum pœnitentiæ luctum. Ditissimum a Christo nobis relictum thesaurum reseravit, donavitque omnia merita SS. Virginis Mariæ, animarumque a mundi exordio usque ad diem hanc Deo devotarum collecta suis coævis recte credentibus in Nomine Domini, cujus Vicarius est in terra, juxta ritum et consuetudinem Ecclesiæ. Parate corda vestra, o dilectæ oviculæ! Ecce nunc loquitur Ipse, uti olim Petrus et Paulus: *adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (2. Cor. 6.) (Cavete autem modo a quavis prævaricatione, ne opus nostrum inane fiat) *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibea-*

mus nosmet ipsos sicut Dei ministros in multa patientia inter tribulationes, necessitates et angustias . . in vigiliis et jejuniis . . . in suavitate, in Spiritu S. in charitate non ficta . . . Quasi morientes (mundo nostro mæstitiæ sanctæ habitu) *et ecce vivimus gaudentes* (bonæ conscientiæ testimonio) *sicut egentes* (vestibus modestissimis induti) *multos autem locupletantes* (dispensatione eleemosynarum) *tanquam nihil habentes* (et quasi mendici) *et omnia* (bona vitæ piæ) *possidentes.*

Non possumus S. scripturam, verbum Dei novum Testamentum sancientis e manibus dimittere, antequam indicemus dilecto gregi nostro non nulla adhuc, ut superius actum est, sacrarum paginarum loca, quæ idonea sint existentiæ et significationi indulgentiarum probandæ et quibus luculenter pateat, qua via possimus rite ejusdem compotes fieri. Quod Christus, durante vita publica, hinc peccatum cum ejus radicibus et malis fructibus delere et extirpare et hinc regnum virtutis, pietatis, fiduciæ in Deo, Deique auxilis in sanguine redemptionis fundare, aut quod idem est, plenariam peccatorum indulgen-

tiam et inæstimabiliter magnam meritoriam hæreditatem humano generi largiri proprie studuerit, nullus dubitat. Sacrificium Crucis per se sufficit culpam et pœnam omnium peccatorum delere, illumque, cui Ejus pretium applicatur, super nivem dealbare, atque beatitudinis æternæ dignum efficere. Non tædeat, quæso, vocabulum: ***Indulgentia***, tam sæpe audire. Ubi res est, ibi quoque vocabulum sit oportet. Dominus noster designavit in initiationem et introductionem in Ecclesiam a se constitutam sacramentum Baptismi, quod culpam simul et pœnam peccatorum omnium, cujuscumque sint speciei aut nominis, delet, atque extinguit. Hæc est prima et necessaria indulgentia plenaria, ut filii Dei et fideles Jesu Christi evadamus. Quo fit, ut homo baptizatus nulla porro re alia indigeat, præterquam quod in gratia suæ vocationis ambulet, qui beatum regnum adipiscatur.

Verum hæc unica estne indulgentia, quam Salvator dederit Ecclesiæ sponsæ suæ clarissimæ? Quam multi (ne dicam plurimi) tunicam innocentiæ in baptismo acceptam amittunt! Quam multi cadunt

profunde, graviter, sæpe, et diuturne! Certe nemini despondendum est, Deus recipit peccatorem, quandocunque ex corde veniam implorat. At *Pater castigat filium, quem recipit* (Heb. 12.) Quis tamen non horreat, si respiciat suarum iniquitatum cumulum? Quomodo nostræ vires infirmæ, qui brevitas nostrorum, qui adhuc supersunt, dierum sufficit ad debite satisfaciendum? Quanta cum anxietate æternitatem intuebimur, quando tantum severa regnat justitia et *tempus misericordiae non erit amplius?* (Apoc. 10.) Macte animum, anima pœnitens! evasisti pœnas post mortem: Confide et lætare nunc cum tota christianitate; dies, anni salutis oriuntur proprie tibi. Jesus crucifixus, ejus sacerdotium, ejusque altare tibi annum jubilæi, oblationem universim expiantem in communione Ecclesiæ; in communione Sanctorum præparavit. Uti quondam Salvator noster Capharnai paraliticum sanavit, eique cum culpis pœnam remisit (Matth. 9.) uti peccatrici in domo Pharisæi (Luc. 7.) omnia peccata dimisit et integram pacem indulsit, ita nobis paria sperara licet in dolore et charitate ab Eo,

qui pro nobis lytrum infinitum reposuit. Qui multum amaverit (Luc. 7.) multum dimittetur ei; qui minus amaverit, minus ei dimittetur.

21.

Indulgentias accepit a Christo Dismas e cruce pendens.

Attollite oculos, pusillanimes! Intueamini Calvarium! Aspicite illic non solummodo Agnum Dei, qui jam sustulit peccata mundi, sed etiam alternum e latronibus ad latus Domini morientis inter dolores et opprobria. Ecce bonus latro in mediis doloribus cœlum aspicit intuitu misto lætitia spei et dolore culparum. Cur? quia audivit ex ore morientis Redemptoris hoc verbum: *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23.) Hoc verbum in numerum electorum vocavit Dismam, dimisit culpam et pœnam peccatorum. An id non est indulgentia plenaria? Properate ad pœnitentiam, oviculæ dilectæ! et Ecclesia pro vobis pronunciabat cum eadem efficacia idem verbum. Universos invitat; qui accurrent sincere pœnitentes, fruentur ex-

optatis solatiis, sive pace; namque pacem consueverunt omni tempore appellare plenam operum pœnalium remissionem SS. litteræ, Apostoli, atque Ecclesia catholica.

22.

Ipsamet Sanctorum communio cum Jesu Christo qui venit vocare peccatores, vix quidem sine indulgentiae beneficio cogitari potest.

Rerum series nos revocat ad quoddam objectum, quod in ipso hujus instructionis initio retulimus, et super quo propriæ fundatur essentia indulgentiæ, æque ac gloria, honor, fiducia, gaudium omnium Christianorum viventium sub una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia. In professione fidei nobis tradita ab ævo apostolico, postquam adoravimus unum Deum in tribus personis Patre, Filio et Spiritu S. vovemus nos credere *Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum;* dein carnis resurrectionem et vitam æternam. Ecclesia, Sanctorum Communio, Remissio peccatorum ita connectuntur arcte, ut invicem

sint auxilio, quo sese complectentes mutuo fulciant, atque illustrent. Communio Sanctorum coaptat singula membra uni, quod est ipsa Sanctitas i. e. Christo. Ipse caput est, reliqui corpus Ejus; Ecclesia ejus intime Christo unita. Omnia membra, salvis differentiis singulorum, sunt anima una, spiritus unus, perfectio una, meritum unum, robur unum, justitia una, pax una in Christo Jesu Domino et Deo in sæcula.

Communio Sanctorum præsefert summum pulcherrimumque cujusvis societatis exemplar, completam membrorum inter se, et cum suo capite coniunctionem quam vel humana ratio suis conatibus investigare et quodammodo penetrare; cæterum sincere et quiete credere potest. Nam est communio Dei omnipotentis cum suis sibi devinctis animabus. Est communio Jesu Christi cum suis sibi subjectis in cœlo et in terra. Est civitas Dei, cujus cives unum bonum participant, quod est ipse Dominus eorum, Dux Deusque eorum, *mercesque* eorum *magna* nimis (Gen. 15.) Omnes vivunt per Eum, et in Eo; Ipse in omnibus et cum omnibus; singuli Eo

potiuntur, Ipse omnibus. Nullus humi jacet, quia Spiritus S. omnium corda sublevat et roborat; simul ac singula membra, quantumvis exigua et infirma videantur, in magno regioque copulat corpore. Nullus de inopia quæretur, quia locuples est in suo rege, in suis fratribus, in communione justorum sive jam beati potiantur felici patria; sive adhuc in via probentur; seu in paradiso, seu in loco desiderii, seu in tabernaculis gloriæ et pacis, seu in peregrinatione hujus vallis lacrymarum; seu in triumpho, seu adhuc in proelio. Una quippe Ecclesia est in cœlo et in terra. Unus Deus per omnia, una fides, unus Christus, unum baptisma, una Communio Sanctorum. Omnes Christi fideles sunt cohæredes, concives, com participes promissionum Christi. Una est civitas, quia unum est corpus, *unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis.* Utinam omnes veritatem facientes in charitate (Dei) *crescant in Christo, qui est caput, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis,*

secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri (Eph. 4.)

O vos beati incolæ æternæ civitatis Dei; vos glorificati et intimi familiares Altissimi; vos qui jam regnatis in tranquilla possessione cœlestium gaudiorum; vos a Deo electi antecessores et patres fidelium. Vos Prophetæ, Apostoli et Martyres; vos sancti doctores, vos famuli, famulæque Dei, vos omnes, qui gloriosum certamen certastis, et nunc Deum a facie ad faciem videtis. O purissima et sanctissima inter puras creaturas, Regina Angelorum et Sanctorum omnium virgo et Mater Dei! respicite novissimos filios vestros, fratres vestros et sorores vestras, adhuc militantem fidelium societatem, et orate pro nobis, ut vobiscum æternum digni efficiamur promissionibus Christi universalis nostri Domini et Regis, qui est caput nostrum. Defluite de mari vestrorum thesaurorum, quod nobis deest ad delendas nostrarum culparum maculas; ad vires reintegrandas; ad colligendas vestro exemplo excitati opes æternas; ad pœnitentiam hoc jubilæi tempore agendam, ut lucremur indulgentiam, et mereamur coronas justitiæ.

Deus et Salvator noster, qui es Pater, Caput, Sacerdos et victima tuorum fidelium, respice propitius nos luctantes filios tuos, qui quamvis peccatis magnis multisque onusti ad Te clamamus. Impertire nobis gratiam, reconciliationem et indulgentiam secundum tuam infinitam misericordiam, secundum divitias tuorum meritorum ex thesauro sacrificii pro nobis in ara crucis oblati. Respice communionem Sanctorum tuorum, fidem Ecclesiæ tuæ matris nostræ sponsæ tuæ, non vero commissa nostra, quæ abjicimus, quorum nos pœnitet et quæ detestamur intuitu præcepti et charitatis tuæ; Salvator noster, respicere dignare devotionem et orationes ferventes S. Ecclesiæ tuæ. Dona nobis, quæsumus, quod jam pridem donasti, scilicet tunicam innocentiæ et hæreditatem regni tui.

Si ita Deum invocatis, dilectissimæ oviculæ! de acquisitione indulgentiæ vos certiores reddere possumus. Qui studet digne Sanctis, in quorum communione est, vivere, ille jam est particeps omnium bonorum, quæ in tali communione comprehenduntur. Ita pulsanti aperitur; ita quærens inveniet. Qui quoquo modo ligatus

per gratiam Jesu Christi cupit dissolvi, ille plenam pacem, libertatem, et hæreditatem filiorum Dei adipiscetur per eos, quos Dominus dispensatores suorum thesaurorum atque mysteriorum constituit. Dolete sincere de peccatis non tam ex timore judicii, quam ex amore Dei Domini nostri. Confitemini peccata eadem cordis dispositione cuipiam sacerdoti, inde accedite ad altare gratiæ recepturi sacram synaxim. Ita tradentur vobis claves ad ingressum cœli, reportabitis chirographum salutis, atque admittemini in Communionem Sanctorum patricipes effecti ejusdem hæreditatis, quæ continet divitias inexhaustas et superplenas, in qua confluunt omnes justitiæ et merita: *Calix benedictionis, cui benedicimus*, scribit S. Paulus 1. Cor. 10, *nonne communicatio sanguinis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus*: Utique una communitas, una familia, una scilicet in vero corpore et sanguine Filii Dei non potest non afferre credentibus gratiam, reconciliationem et indulgentiam. Hæc pulchra et prima est causa, cur Ecclesia catholica ab ipso initio et per sub-

sequentia sæcula vocaverit usum sacræ cænæ semper *Communionem*. Jesu Christi scilicet unionem cum suis christianis. In hac unione tum sacramentali, tum mystica continetur sublimis ille, de quo hactenus locuti sumus, thesaurus, ad quem visibile Ecclesiæ caput alludit et quem nobis nunc largius, quam unquam reserare et communicare cupit.

23.

Ecclesiae catholicae clementia omni tempore vere poenitentibus exhibita est.

Hæc Ecclesia catholica, quæ est omni tempore tenera filiorum suorum mater, nullo tempore neglexit Christianos erudire circa hoc commune bonum eo scopo, ut in suis necessitatibus ad illud confugientes lucrum spirituale referrent. Quod S. Paulus egit erga Corinthium, procul dubio idem egerunt Petrus, Andreas, Joannes, aliique discipuli Domini eadem benignitate præcipue difficilibus persecutionum temporibus, vel statim postquam subsiderunt incurrentes procellæ. Memoremus parabolam filji prodigi Luc. XV.

Quod narratur de S. Joanne Evangelista non solum est verus et jucundus e-

ventus, sed est etiam confirmatio sanctitatis primævæ Ecclesiæ et efficaciæ indulgentiæ. Quum Apostolus a Pathmo exilii sui loco rediisset, ejus opera adolescens quidam resipuit, quem Joannes tradidit in disciplinam Episcopi, qui inviserat S. Apostolum. At adolescens paulo post seductus a pravis sociis vitam scelestem iniit. Post aliquod temporis intervallum revisens ea loca suæ curæ commissa S. Joannes tristis exclamavit: Ovicula mea mortua est! Ubi est? Conquirenda mihi est. Deposcit equum, quia prope centenarius nequibat pedibus assequi fugientem. Reperit adolescentem, qui grassatoribus præerat, is ubi Apostolum vidit, sese veloci fuga proripuit. Joannes contenta voce: Quo, inquit, fili mi! a me fugis? Non est mortua anima tua; ego rationem reddam; et sicut Jesus Christus etiam pro te moriar, si oportebit. Vitam meam pro anima tua dabo. Siste, revertere et scito, me a Domino missum esse. Ad hæc verba induratum velut æs cor peccatoris emolliit. Adolescens procidit ad pedes S. Apostoli inter lacrymas et singultus, quem veluti regeneratum in baptismo lacryma-

rum et pœnitentiæ Joannes paterne complexus est. Reduxit adolescentem ipse ad S. Ecclesiam et pro eo efflictim rogavit Deum. Transactis cum adolescente aliquot diebus in oratione et jejunio, restituit eum Ecclesiæ plene Deo reconciliatum. Hæc fuit benignitas seu indulgentia S. Joannis. (Eus. lib. 3. cap. 7.)

Praxis pœnitentialis cum Christiana Ecclesia incepit, quia nullo non tempore vivebant aliqui debiles, qui primum fervorem deserebant, et in diversa labebantur peccata. Ecclesia in terra est utique assimilata agro, in quo cum frumento zizania creverunt; assimilata est reti continenti pisces bonos et malos. Apocalypsis Joannis describit nobis non unum lapsum etiam præsulem Ecclesiarum. Ipse Apostolus gentium conqueritur sæpe, superbiam, discordiam, turpis lucri cupiditatem, teporem et luxuriam perdidisse aliquos fratres. Alias commendat eos a promptitudine resipiscentiæ et pœnitentiæ. Similiter se gesserunt primi Apostolorum successores: *Clemens Roman.*, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Irenaeus* &c. &c. uti videre est in eorum operibus. Omni tempore obli-

gabantur ad pœnitentiam peccatores eo fine, ut a Deo obtinerent non solum remissionem peccatorum, sed etiam, ut pro iis satisfacerent, scilicet, ut pœnas peccatis debitas exsolverent. Si vero scandalum fuisset publicum in Ecclesia, imponebantur item publicæ pœnitentiæ juxta qualitatem reatus; verbi gratia 40 dies, 7 anni, immo etiam sæpe pro tota vita alicujus magni peccatoris. In antiquioribus monumentis historiæ, quæ usque ad tempora apostolica ascendunt, reperimus multa publica pœnitentiæ opera in hanc rem. v. g. jejunia diuturna, abstinentia honestarum recreationum, immo exclusio a conventibus Christianis et a mensa Domini. Plures jacebant ante Ecclesiæ fores et flebiliter ab introeuntibus suffragium orationum rogabant qui *Flentes*; alii conspersi cinere et cilicio induti in vestibulo flectebant et *Flectentes* dicebantur. Alii stabant quidem, sed procul ab altari et sine communione sacra et *Consistentes* et *Audientes* vocabantur.

Ad quædam vero magna peccata, puta negatio fidei et idololatria, in Deum Sanctosque blasphemia, seu contumelia;

homicidium et adulterium, vindicta omnis generis, latrocinium, furtum, seductio virginum, profanatio diei dominici et Sanctorum, violatio jejunii præcepti, infamatio, perjurium, seditio, vita scandalosa &c. quamquam non omnino publica essent, pœnitentes obligabantur a presbyteris et episcopis secretam et severam peragere pœnitentiam habita proportione cum pœnitentia publica pœnitentium. Multi sincere et vehementer dolentes ultro se sistebant, atque ex vera humilitate et contritione cordis cum publice pœnitentibus humiles degebant. Verum feria V. in cœna Domini cunctis *pax Dei* concedebatur, si juxta canones pœnitentiales et voluntatem Episcopi terminus expiraverat, præcipue iis, qui vel ex humilitate, vel ex devotione se ipsos in classe pœnitentium collocarant. — Ista unctionis divinæ et paternitatis plena reconciliatio, quæ nobis ab orientalibus et occidentalibus Patribus antiquissimis tradita est, conjungebatur semper cum orationibus, quibus petebatur etiam indulgentia pœnarum, quæ Deo superant solvendæ et non raro edicebatur

etiam gratiosa relaxatio pœnitentialium operum ab Ecclesia impositorum. Archidiaconus stans coram Præsule producebat publicos pœnitentes, eosque qui eorum censu numerabantur, et conversus ad Episcopum voce lugubri dicebat:

„Adest o venerabilis Pontifex! tem-„pus acceptum, dies propitiationis divinæ, „salutis humanæ, qua mors interitum, et „vita accepit æterna principium. Quam-„vis enim a divitiis Bonitatis Dei nihil „temporis vacat, nunc tamen et largior „est per indulgentiam remissio peccatorum „et copiosior per gratiam assumptio re-„nascentium. Redintegra in eo, Aposto-„lice Pontifex! quidquid diabolo suadente „corruptum est, et orationum tuarum pa-„trocinantibus meritis fac hominem pro-„ximum Deo.“ Post hoc episcopus dicebat voce pontificali: „Adesto Domine! „supplicationibus nostris et me, qui etiam „misericordia tua primus indigeo, clemen-„ter exaudi, Domine Sancte Pater omni-„potens per Tecum coæqualem Filium, „hos Ecclesiæ tuæ purificatos restitue, ac „tuo altari repræsenta &c. Respice N. fa-„mulum tuum et remissionem sibi omni-

„um peccatorum tota cordis confessione „poscentem deprecatus exaudi; vincula „disrumpe, oviculam perditam in hume- „ris tolle &c. Pretio sanguinis tui dimitte „peccata, ut redemptione percepta plene „in te glorietur &c. Dixisti Apostolis tuis: „Quodcumque solveritis, in cœlo solve- „tur. Eorum aliquis ego quoque sum, li- „cet indignus" &c. Posthæc pronuntiabat absolutionem a culpa et a reliquis pœnis: „Per intercessionem Dei Genitricis Mariæ, „Archangeli Michaelis et S. Petri, cui po- „testatem dedisti ligandi atque solvendi „et omnium Sanctorum absolvat Te *Jesus* „*Christus*, qui in remissionem peccatorum „sanguinem suum fudit, ut vinculis ini- „quitatum vestrarum solutis vos introdu- „cat in cœlum, qui vivit et regnat cum „Patre et Spiritu S. in sæcula sæculorum."

Ecce consolantissima et locuples in- dulgentia! cujus etsi variarent formulæ, tamen in substantia erat eadem indulgen- tiæ largitio ubique et ab exordio Eccle- siæ. Hæc non ignorant antiquitatum Ec- clesiasticarum studiosi (v. g. libri pœni- tent. liturgici, Eucholog. græc. Martenne, Thomassinus &c.)

24.

Tertulliani et S. Cypriani de indulgentiis olim datis relatio certissima.

Antiquissimus Auctor *Tertullianus*, qui primos Apostolorum discipulos videre potuit, dicit (ad Mart. C. 1. de Pud. C. 22. vid. Thomassinus, Amort. &c.) sui temporis pœnitentes, qui ab Ecclesia exclusi fuerunt, diu a participatione Sacramentorum *pacem* imploravisse, sive indulgentiam remissionemve pœnarum a Martyribus fidei causa in carcere detentis. Martyrum intercessione remisisse Ecclesiam opera pœnitentiæ vulgo notum est. Tertullianus hortatur eosdem fraterne, ut pacem, seu indulgentiam opportuna occasione aliis etiam fratribus impetrent. Iste scriptor, qui in aliquot punctis severitate peccavit nimia, narrat Ecclesiam interventu Martyrum remisisse pœnalia opera, etiamsi coram Deo nondum satisfactum erat. Doctissimus *Origenes* de eadem re Martyrum merita multorum extinguere culpas ait; sanguine martyrum debita redimuntur Christianorum, quia Sancti participes sunt regni Jesu Christi.

In II. et III. sæculo erat communis persuasio de hoc beneficio divinæ bonitatis et de potestate Ecclesiæ pro sua sapientia utendi venia erga lapsos. Hinc v. g. qui tempore persecutionis Decianæ eo prolapsi erant, ut idolis sacrificarent, exorabant libellos a SS. Martyribus, quibus compendiose indulgentiam obtinerent pœnarum ab Ecclesiæ præsulibus, in ea etiam persuasione, quod jam eamdem gratiam a Deo intercessione Martyrum obtinuissent. Romana Ecclesia in suis legibus semper cauta et religiosa non impugnavit persuasionem de remissione pœnarum obtinenda intercessione Martyrum. Sed eidem displicuit importunitas et zelus præfervidus Pœnitentium, qui existimabant libellos Martyrum Jesu per se sufficere tum ad eximendos lapsos a pœnis ecclesiasticis, tum ad reconciliandos interne coram Deo: „Nonne estis a vobis dissentientes" respondit eis *Clerus Romanus*, „quando creditis vos habere jam plenam „pacem cum Deo et nihilo minus pacem „a nobis exquiritis? Quidni eorum, a qui„bus eam petere debetis (i. e. ab episcopis) „pacem, quam non habetis, exquiritis"?

(Epist. 36. de lapsis inter Cypr. et ep. 16, 17, 18.)

Eodem restitit *S. Cyprianus* zelo hujusmodi postulationibus importunis; exigit ante omnia indubitatum dolorem, item humilitatem et subjectionem: „Sperandum „est, ait, lapsos humiles, ferventes et man„suetos intercendentibus Martyribus et ab„solventibus Presbyteris inventuros apud „Deum gratiam perfectam. Ita satisfacient „Ecclesiæ pœnas infligenti". S. Pater hortatur eos, dum sæviret omnium, quas unquam Ecclesia passa est, gravissima persecutio, ut passionem Christi, ut sanguinem tot Martyrum, ut merita et virtutes Sanctorum omnium reminiscantur. Hæc una recordatio, prosequitur ille, impavidum præstabit in periculis animum. Idem magnus et antiquissimus Pater omnino vult, ut imprimis per indulgentiam subveniatur eis, qui ægri decumbunt graviter, potissimum, si libellis Martyrum, qui jam signarunt fidem sanguine suo, commendantur: tunc enim, ait, Ecclesia certa est de efficaci amicorum Dei intercessione. Videte dilectissimi! quam ferax sit et pulchra Sanctorum communio: „Cur

„despiciemus sententias Martyrum? Quo„modo contristabimur eorum benevolen„tiam? Minime recedendum est a disci„plina Ecclesiæ. Disciplina Ecclesiæ est „indulgentiam plenam iis largiri, qui in„tercessione Sanctorum erudiuntur". Ita scribit coævus *Dionysius Alexandrinus.* Quamobrem reperimus hic denuo vivam, activamque fidem circa Communionem Sanctorum inter Christianos multo illustriorem, quam inter Israelitas: reperimus enim primis æræ Christianæ sæculis in Oriente et Occidente. —

25.

Aliorum Scriptorum et Patrum ecclesiasticorum testimonia.

Spatio trium sæculorum infernus cum mundo epicureo et hoc ipso infensiori et crudeliori conspiravit in exterminium florentissimi agri Christiani vi et blanditiis, gladio et carnificina. Frustra, quia sanguis Martyrum fuit semper novum Christianorum semen. Tandem in magnificentia rutilat crux et repente Romanum imperium miratur se esse christianum, ci-

vesque suos recenset sub evangelii vexillo *) videt mundum universum sub uno in Romana urbe Pastorum Pastore; unam Ecclesiam ab ortu ad occasum diffusam; quæ in communione cum Christo et Sanctis solvit in cœlo, quæ in terra jam solverat. Hoc patuit in primo æcumenico concilio Nicæno, quod potestatem Episcoporum imponendi pro qualitate personarum, vel solvendi pœnas esse de divina dispositione declarat **). Eodem circiter tempore in novissima persecutione lapsis, seu deficientibus a fide *S. Petrus Alexandrinus* dimisit magnam pœnarum partem, siquidem eorum pii consanguinei pro ipsis et cum ipsis pœnitentiam egerant: „Scimus, ait, complures pacem ob„tinuisse ob fidem fratrum et sororum et „ob corporis valetudinem". *S. Ambrosius* lumen Italiæ et Ecclesiæ nos præclare docet modum reconciliandi pœnitentes: „Pœnitens homo velut operibus quibusdam „totius populi purgatur et plebis lacrymis

*) Apud Euseb. lib. 6.

**) Syn. Nic. C. 11. Ancyr. C. 4. 5.

„abluitur, qui orationibus et fletibus ple-
„bis redimitur a peccato et in homine
„mundatur interiore. Donavit enim Chri-
„stus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes
„redimeret, quæ Domini Jesu meruit ad-
„ventum, ut per unum omnes redime-
„rentur" (Amb. lib. 1 de pœnit. C. 15). Romæ et Mediolani, ut *Sozomenus* historicus græcus narrat l. 7. c. 16. mos erat, ut pœnitentes orationes Ecclesiæ lacrymis implorarent, ad pacem obtinendam: „Tota
„Ecclesia, ait *Ambrosius* loc. cit. suscipit
„onus peccatoris, cui compatiendum est
„et quasi fermento ejus se totam consper-
„git. Consideremus ipsum Apostoli ser-
„monem: „Expurgate, inquit, vetus fer-
„mentum, ut sitis nova conspersio, ut
„viritim misericordiæ et compassionis ve-
„lut collectiva quadam admixtione pur-
„gentur."

Percipiamus etiam doctrinam *S. Joannis Chrysostomi* Patriarchæ Constantinopolitani, qui epistolas Paulinas forte præ omnibus melius intellexit, et interpretatus est. Ad eum locum, ubi de Corinthio supra allegato §. 20. sermo est, dicit:

„Paulus ei donavit, non quia dignus, nec „quia sufficienter se casigaverit, sed quia „infirmus". Propterea addit: „ne forte ab- „undantiori tristitia absorbeatur." Hoc nos sacerdotes decet, ut pœnitentiam metiamur non ex sola criminis gravitate, sed etiam ex qualitate et animo peccatoris. *) Aurea, consolantissima verba animæ in catholica Ecclesia pœnitentiam agenti. Ex quo intuitu Episcopi et sacerdotes festinabant succurrere ægrotantibus, uti testificatur supra relatus *S. Cyprianus*, ad afferendam eis pacem, seu ad remissionem pœnalium eis largiendam coram Deo antequam e vivis excederent. Nam ita divina ordinatione collata est Ecclesiæ potestas ligandi, atque solvendi. *Pax* in ore S. Patris et Doctoris, qui adeo proximus erat temporibus Apostolicis, etiam *pacem cum Deo* significat; in scripturis sanctis non solum peccati, sed etiam pœnæ remissionem. Primæva Ecclesia consuevit semper in hoc sensu *pacem* intelligere. Pax, quæ dabatur pœnitentibus, erat indulgentia pœna-

---

*) Chrysost. hom. 4. in 2. ad Cor.

rum temporalium, ut apparet ex iis, quæ supra retulimus. Utinam his diebus salutis obtineamus pacem Dei et plenariam debitorum solutionem, quæ nos adhuc gravant. *S. Augustinus* scribit de bapt. lib. 3. c. 17.: „Deus dedit Petro potestatem „ligandi et solvendi, ut unitas Ecclesiæ „conservaretur. Preces et fletus Ecclesiæ, „quæ gemit ut columba, significant my„sticam dispensationem miserationum Do„mini, quibus culpæ purgantur." Constat hic non tam de culpa, sed etiam de pœnis esse sermonem.

Pontifex *S. Leo Magnus* hortatur similiter omnes ad jejunium, orationem et vigilias apud B. Petrum Apostolum, ut meritis et intercessione ejus a reliquiis culparum emundentur per Jesum Christum (Ser. 1, 3, 4. &c.) Idem sapientissimus S. Petri successor disserte docet, Apostolicæ sedi collatam esse divinitus plenitudinem potestatis peccata eorumque pœnas remittendi, ubi sunt veræ pœnitentiæ indicia. Ex qua potestate intelligendum est, hunc Sanctum Ecclesiæ Hierarcham, sicut ejus successores solatos fuisse lugentes et afflictos beneficio Indulgen-

tiæ certis temporibus, maxime tempore incursionis Barbarorum, et in tristibus diebus pestis, famisque.

In Canone Missæ, cujus canonis epocha quoad substantiam attinet, pertingit usque ad Apostolos, orat Sacerdos pluries pro se et pro populo remissionem omnium debitorum per merita Jesu Christi, per ejus sanctissimum sanguinem, per intercessionem et communionem Sanctorum. Litaniæ omnium Sanctorum, preces Ecclesiæ pro remissione etiam post acceptam a Sacerdote absolutionem peccatorum, preces maxima ex parte derivatæ a sæc. V. et VI. exprimunt vetustam Ecclesiæ fidem, juxta quam Pontifices summi *Leo, Gelasius*, *Gregorius* &c. publicam liturgiam ordinarunt, suntque totidem documenta fidei perpetuæ in Ecclesia erga potestatem distribuendi indulgentias, uti revera eas distribuit pia mater. In hebdomade sancta ante Pascha dabatur pax et reconciliatio ab omnibus Episcopis usque ad ætatem S. Bernardi, et datur etiamnum, si casus exigat, ut jam notavimus.

Quod igitur Præsules Ecclesiæ abbreviarint ad exemplum S. Pauli opera pœ-

nalia sæpe vel maximis peccatoribus et nonnunquam etiam totaliter remiserint, extra controversiam est. At vero quænam utilitas eveniret misero pœnitenti, si per indulgentiam tantum in præsenti non autem altera vita potius lucraretur pacem et remissionem pœnarum? In ipsamet Ecclesiæ natura est curare semper utilitatem suorum filiorum magis in futura, quam in præsenti vita. Ecclesia enim est mater semper pia sancta, fæcunda, potens in terra et in cœlo.

26.

Quid, et quamdiu existat Thesaurus ecclesiae, unde repetitur indulgentia?

Sanctorum Communio cum Christo Capite Deo et Redemptore et per Christum cum ejus Sanctis est fundus et thesaurus ditissimus, ex quo sedes Apostolica annuntiat et distribuit omni tempore remissionem debitorum iis, qui se dignos reddunt. Perpetuam indulgentiarum existentiam ostendit de sæculo in sæculum *Eusebius Amort* de Indulgentiis Quæ. 1. et 2. Angelicus Doctor *Thomas Aquinas* utitur primus vocabulo *thesaurus* (rem vetustam

novo et idoneo vocabulo insignivit) qui ex meritis Salvatoris, beatissimæ Virginis Mariæ, omnium Sanctorum et piorum fidelium componitur (D. Th. 4. Dist. 20.) Diverse diversis temporibus fuerunt indulgentiarum species *a)* S. Paulus distribuit indulgentiam ob infirmitatem et tristitiam Corinthii pœnitentis. *b)* Concilium Nicænum rationem habuit fervoris pœnitentium. *c)* S. Cyprianus intuitu Martyrum intercedentium, *d)* medio ævo Ecclesia distribuit indulgentias ob ardua opera perficienda in emolumentum fidei et pietatis v. g. Si arma erant gestanda adversus Christiani nominis hostes; vel si pœnitentes laboriosam suscipiebant peregrinationem; vel pro iis, qui facultatibus suis crucesignatos adjuvabant. Præsules Ecclesiæ concedebant etiam indulgentias iis, qui concurrebant aliquo modo efficaci ad ædificandum templum, Nosocomium, Cænobium, vel aliud ad opus pium, quod religionis incremento inserviebat. Animadvertendum est, indulgentias fuisse distributas indiscriminatim pro cunctis fidelibus Christianis, etiamsi non subjacerent publicæ pœnitentiæ et quin pro indulgentiis supplicassent Papis et Episcopis.

27.

Annus Jubilaeus in ecclesia cath. festivo ritu introductus?

Multa posterioribus sæculis, relata ad formam, meliorem, pulchrioremque, quam antea ordinem nacta sunt in utilitatem universalem Christiani orbis; puta: divisio accurata Diœcesium, multiplicatio Parochiarum, fundatio Universitatum, hospitalium, festorum, rituum, et Ordinum Religiosorum contribuerunt plurimum saluti animarum et religioni. Numerabantur post Redemptionem mundi jam 1300 anni, quando Papa *Bonifacius VIII.* primus instituit Jubilæum, et cum eo universalem plenariam indulgentiam indixit iis, qui visitarent Limina Apostolorum SS. Petri et Pauli et corde contrito pia opera præscripta adimplerent: *Confisi in Dei omnipotentis misericordia,* verba Bonifacii sunt, *et meritis SS. Apostolorum concedimus plenam peccatorum indulgentiam singulis centenariis.* Sed *Clemens VI.* reduxit ad annum quemque quinquagesimum anno 1350 ad exemplar anni 50mi Veteris testamenti. Vitæ mortalis brevitate permotus *Paulus II.* Bulla

edita sancivit, ut Jubilæum 25. quovis anno celebretur. Non multo post annus Jubilæus, qui ad illud usque tempus Romæ dumtaxat celebrabatur, extensus est, ab *Alexandro VI.* et cumulatius a *Sixto V.* ad alias regiones, puta: Germaniam, Galliam, Poloniam, Hispaniam &c. tandem ad universas orbis Christiani partes. Quod successores ejus in *aedificationem* Christianorum a torpore excitandorum jam undevigesies observarunt. Non hic loquimur de iis indulgentiis, quæ in peculiaribus circumstantiis conceduntur quibusdam regionibus v. g. Austriæ anno 1795.

Ergo hujusmodi Jubilæum, ac proinde indulgentia plenaria pro toto orbe omnibus et singulis datur. Intimo cum gaudio et tenero cum affectu Patris erga utilitates suorum filiorum in Christo Jesu annuntio vobis hoc tempus gratiæ; oro hortor universos et enixe peto, ut recte utamini hisce diebus ad vestram salutem, ad ædificationem Ecclesiæ Catholicæ, ad honorem Dei et Sanctorum in Cœlo regnantium, et ad piarum animarum consolationem in terra viventium. Haurite ex thesauro nobis reserato pro tempore et æternitate

bona, quæ superant quidquid est in terra: plectite vobis immarcescibiles coronas! Abrumpite vincula pravarum passionum, torporis et consuetudinum vitiosarum: Estote Christiani corde et ore: Ostendite fidem vestram in morigera conversione et bonis operibus: Discite, quales sint vestræ infirmitates et simul media discite, quibus curentur, ut ita sensualitas, et mala concupiscentia cœrceatur. Ecce Ecclesia Dei orat, se humiliat, et suspirat vobiscum pro vobis. Suspiria piorum, Deum timentium ad Deum ascendunt ex omnibus mundi partibus, ut nos convertamur, atque æternum salvemur. Filius Dei, beatissima Virgo Maria, Apostoli, Martyres, omnes Sancti a mundi exordio usque ad nostros dies parant cum nostris orationibus, pœnitentiis et salutaribus propositis una cum suis meritis ærarium commune, seu thesaurum spiritualem, qui mediante legitimo ejus usu tantum unicuique confert, quantum indiget ad peccata tollenda in tempore et in æternitate, ad dealbandos homines super nivem, eosque purgandos super lanam mundam. Eodem

tempore nostra etiam contentione thesaurum spiritualem augeamus: exerceamus amorem erga Deum et proximum in universali hac cunctorum fidelium devotione modo utilissimo et efficacissimo, dum oramus Deum pro emolumento et propagatione fidei veræ, pro conversione peccatorum, hæreticorum et infidelium, pro unione omnium schismaticorum.

Orate igitur ferventer, ut misericors Deus destruat opus malignum illorum, qui obcæcati adversus Christianæ religionis dogmata moliuntur fera consilia eo tendentia, ut secundum suum sensum reprobum evertant ordinem, turbentque concordiam regnorum et populorum, ut vestris orationibus adjuti revertantur ad sanam mentem, ad probitatem, fidelitatem et ad Dei timorem.

Orate pro Romano Pontifce *Leone XII.* ut Deus in regenda Ecclesie eum confortare, dirigere et adjuvare iugiter dignetur! Orate pro principibus et populis Christianis in communi sed in specie pro patria nostra, pro Patre Patriæ *Francisco I.* Cæsare Austriaco, et pro serensissima Familia, quam divina providentia felicitati

tot nationum et regnorum elegit, ut sceptrum teneret. Respicite præterita et futura tempora. In præterita tempora, ut iis etiam refrigerium impertiamini, quibus unimur vinculo affinium et consanguineorum et qui fortassis expectant a nobis spirituale auxilium, præcipue hoc tempore, cum Ecclesia ita erga nos benigna est. Nos tandem monemur, ut memores nostræ obligationis et grati animi erga Ecclesiam correspondeamus maternæ ejusdem curæ orando pro defunctis, ut etiam ipsæ in purgatorio animæ a suis pœnis liberentur. Respicite futura tempora, posteritati, filiis, nepotibusque vestris fructus timoris Dei congregantes, ut in vestris domiciliis solidam pietatem plantetis, ne veluti leves calami omni vento circumferantur.

28.

Conditiones Lucrandae indulgentiae, specietenus jubilaris.

Dilectæ oviculæ et Christiani lectores! evolvimus hactenus nova et vetera, ut monstraremus excellentiam et salutarem

praxim indulgentiarum, uti docet constanter Ecclesia catholica. Verum superest nobis punctum quoddam essentiale vestræ attentioni proponere, scilicet „quid requiratur ad certo lucrandam indulgentiam tam relate ad internas animi dispositiones, quam ad externas adimplendas conditiones."

Relegamus ante omnia, quæ Clerus Romanus an. 251. ad divum Cyprianum M. respondit: „*indulgentiae medicinam tum demum proficere, si medicus utatur poenitentia; si operit tantummodo vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem, non curat, sed occidit, si verum dicere volumus. Non sit minor medicina quam vulnus — — — Uno igitur eodemque consilio, iisdem precibus et fletibus tam nos quam illi qui has temporis clades videmur subterfugisse*, quam illi qui inciderunt, Divinam Majestatem deprecantes, *Pacem* ecclesiastico nomini *postulemus*. Mutuis votis nos invicem foveamus, custodiamus, armemus. Oremus *pro lapsis* ut erigantur, *pro flentibus*, ut non ad ruinas usque tententur, oremus, ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intel-

ligant *non momentaneam, neque praeproperam desiderare medicinam*".

Concilium Tridentinum Sess. XXV. Decr. de Indulg. præprimis hortatur, ut per quam sedulo caveantur abusus, qui in sanctas etiam res irrepere solent, ne hæreticis irridendi ansam præbeamus, neve utilitate exoptata fraudemur.

Quatuor proprie sunt conditiones, quas adimplere oportet, si cupimus Jubilæi et quamvis aliam indulgentiam plenariam lucrari. *Prima et praecipua* est sincera conversio toto corde ad Deum, quæ consistit in dolore de commissis culpis ex amore Dei comitante timore pœnæ æternæ, in serio et firmo proposito de cætero non peccandi ullo modo graviter.

Secunda est sincera confessio facta sacerdoti approbato ab Episcopo omnium gravium peccatorum, numeri et specierum et circumstantiarum speciem muntantium et earum rerum, quæ vel antea reticuimus, vel quæ non sincere exposuimus. ubi hoc ultimum contingit, exigitur confessio generalis.

Tertia est digna susceptio Eucharistiæ. Etenim quomodo persuadebimus no-

bis de lucro indulgentiæ, si neglexerimus quod est culmen devotionis Christianæ, et quod inserit animæ vires vitæ? Qui authori et dispensatori invisibili indulgentiarum non appropinquat, qui ejus carnem non manducat et ejus sanguinem non bibit, quomodo vitæ spiritualis compos erit? Quomodo veniam peccatorum et remissionem pœnarum obtinebit, si renuit accipere pignus reconciliationis, bonitatis paternæ, misericordiæ et satisfactionis pro cunctis debitis cum fervore et pura conscientia? Digna quippe susceptio Eucharistiæ est una e conditionibus præscriptis ad lucrandum jubilæum. Quod hic dilucide dixi, complectitur id, quod fieri debet ante, ad, et post indulgentiam. Præterea, quæ a summo Pontifice et ab episcopo præscriptæ sunt preces et visitationes ecclesiarum &c. accurate observentur, oportet.

IV. quod superius dictum est circa dolorem, confessionem et propositum non peccandi de cætero et pœnitentiam agendi pro viribus, tantum abest, ut tollat indulgentiam, ut potius sit perpetua conditio, quam semper Ecclesia Catholica apposuit: „Qui spiritu veræ pœnitentiæ impulsus, ita

loquitur quidam e summis Pontificibus, statuit tamdiu pœnitentiis vacare, quamdiu vires et vita pertingunt, accipit per potestatem clavium auctoritate Apostolica plenam omnium pœnarum temporalium indulgentiam: immo liceat nobis insuper addere: Accipit præterea copiosiorem portionem ex thesauro depromptam communionis Sanctorum, ut mereatur altiorem gloriæ gradum. Hæc est decretoria doctrina antiquitatis Christianæ, quam nobis tradiderunt canones conciliorum Neocæsareæ, Ancyrani, Laodiceni, Niceni, Arelatensis, Carthaginensis; SS. Patres: ***Basilius, Gregorius, Isidorus, Beda, Anselmus, Bonaventura, Thomas*** et concilia æcumenica, item perpetua praxis et consensus orbis orthodoxi.

Loco omnium audiamus unum ***S. Carolum Borromeum***, qui tempore Jubilæi hortabatur gregem suum, ut Romam peregrinarentur, sed tali mortificatione carnis et sensuum, ut sufficeret ad satisfactionem culparum sibi comparandam. Hortatur eos, ut tanto alacrius pœnitentiæ opus suscipiant, quanto benignius Deus misericors succurit nostræ infirmitati, ut scilicet remittat reliqua debita, quibus ex-

tinguendis vires non suppetunt nobis. Ita etiam ferme locuti sunt summi pontifices, quoties indulgentiam plenariam, aut Jubilæum promulgarunt. Ita prorsus locutus est *Benedictus XIV. Pius VI.* et qui hodie Ecclesiam Dei gubernat visibile Caput *Leo XII.* (Vide Euseb. Amort. de Indulg. Q. 2. Morinus l. 7. c. 15. simb. Schwarzhuber.)

29.

Indulgentiae fervorem poenitentium haud imminuunt sed gnaviter sustentant.

Sublimitatem indulgentiæ ejusque usum salutarem, quam clarissime evolvere explanare nec cæco celebrare impetu, nec efferri ultra limites sategimus; Verum metiri quam curatissime et incunctanter adserere iuvat, expeditque. Magnum, credite, lucrum nostrum erit, quando post longam etiam in continua pœnitentia transactam vitam serius, ocyus liberati adeo multis magnisque debitis levitate, aut licentia vitæ contractis recipiemur in æternum gaudium, quin fiat adversum nos ulla exceptio, quin retineamur in tormentis purgatorii. Quid dixi de magno lucro?

Potius omnia lucrati sumus, si statim ab obitu introducimur in sempiternum Dei regnum. Iste erit triumphus, iste erit semper virens victoriæ palma, iste erit fructus indulgentiæ plenariæ, quem nunc omni æmulationis studio apprehendere contendimus. Ecclesia Dei semper benigna, semper fovens filios suos, semper illuminata et recta a Spiritu S. non inflixit unquam pœnam rigidiorem ea, quam coram Deo meruerunt. Nihilominus ad diuturnas gravesque pœnitentias damnavit non paucos, qui forte numero et gravitate minus peccaverunt, quam nos, qui versamur in ævo ad religiosos actus ignavo. Quot inter nos peccata peccatis accumulaverunt, et enormia delicta sæpe annis pluribus tanquam aquam biberunt! Proh quantum vita nostra proroganda esset, si per temporum spatia mensuraretur satisfactio nostrorum debitorum! Centeni et bis centeni anni in cilicio et lacrymis nondum sufficerent peccatoribus non paucis. Etiamsi viverent annos primorum Patriarcharum Adami, Abelis, Henochi, Matusalemi et Noe, deberet tamen vel ultimus

halitus esse suspirium pœnitentiæ, nam etiam pœnitentiæ et recte factis mortalium multiplices nævi adhærent. Jam vero nostra terrena peregrinatio concluditur annis 60, 70 et 80. Quod superat, raro dici potest vita et actio, est enim floccidum quid inter miserias et deliquia spirans. Pigra et fanatica est doctrina sæculi XVI. quæ dicit: *Sola fides justificat*, ac si ista, exagerata pene dixerim superstitiosa fides totam culpam et pœnam culpæ deleret. Catholica Ecclesia palam et energice eam dudum reprobavit.

Nonne igitur maximum est beneficium indulgentia nobis et omnibus, qui ad eam lucrandam invitantur a paterna cura Capitis Ecclesiæ? Nonne consolabitur nos hoc tempus gratiæ respicientes in futurum, quod serenitatem pollicetur? Utinam hoc Jubilæi tempus nova fortitudine vos muniat, ut possitis currere alacriter viam mandatorum Dei et recordantes vestrarum culparum imitari tot sanctos, Davidem Pœnitentem, Magdalenam, Corinthios, Galatas, Philippenses, Martyres, Pœnitentes, SS. Episcopos, Abbates, Monachos, Eremitas, Virgines et

Viduas. Veri et Sancti Pœnitentes nullo tempore mutarunt propositum pœnitentiam agendi: nullus a pœnitentia destitit quoad vixit corroboratus communione Sanctorum et indulgentiis a communione hac manantibus. Noverant enim neminem certum esse posse, utrum numerum suorum debitorum expunxerit et utrum etiam in pœnitentis non commiserit magnas interdum imperfectiones.

Quando *S. Paulus* dicit Colos. 1. 24: „Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore Ejus, quod „est Ecclesia," non habet alium sensum, quam pœnitentiarum usum, scilicet adimpleo juxta meas vires præceptum patiendi. Caput Christus pati debuit, membra Christi pati debent. Patiendo satis facimus. Satisfactio autem superabundans est in Ecclesia, i. e. refunditur in thesauro Ecclesiæ, distribuiturque indulgentiis.

Jubilæum affert nobis adeo prætiosam benedictionem, ut cum nullis divitiis, cum nulloque terreni honoris splendore comparari queat, dummodo in spiritu catholicæ Ecclesiæ illo uti noverimus. Placet repetere: Indulgentia afferet nobis ex the-

sauro meritorum Jesu Christi ejusque Sanctorum non solum remissionem, seu lytrum pœnarum peccatis debitarum, quas ob brevitatem vitæ exsolvere non valemus, sed etiam affert nobis e cœlo perfectam pacem, novas vires, accessum liberum ad Deum, jus integrum ingrediendi in Societatem Sanctorum; jus indies magis participandi de eorum superefluentia, de eorum honore, de eorum beatitudine in Regno Dei. Est hæc doctrina certa Ecclesiæ catholicæ, quod si debita dispositione animæ præscripta opera impleamus, indulgentia mox præs.,t animæ eam puritatem, eumque candorem, qualem in regnerationis lavacro obtinemus, i. e.: Non solum mundamur, sed etiam iugi meremur pœnitentia altiorem gradum gloriæ.

Ad hunc finem non sunt necessaria opera valde laboriosa, nam quæ præscribuntur, quantumvis levia essent, elevantur ad pretium proportionatum auctoritate Ecclesiæ, communione Sanctorum, fervore fidelium semper intenso tempore Jubilæi et hoc modo obtinetur omnimode animæ puritas. Si enim in rebus hisce terrenis aliquis putat, se totum mundum

acquisiisse, quando superatis biduo, aut bimestri spatio magnis difficultatibus pervenit ad honores et dignitates per reliquum vitæ suæ tempus, quanto majore suscipi debent animo aliqua parva opera pietatis præscripta ad lucrandum Jubilæum, quod affert nobis coronam justitiæ et vitam æternam?

Indulgentia Jubilæi infundit in nostris cordibus novum fervorem: Animat, excitatque charitatem fraternam inter fideles, eosque arctius quam unquam copulat cum Beatis. Deus exoratur a paucis, placatur omnibus, quia singula membra corporis Christi participant reciproce de perfectionibus cunctorum Hoc quidem evenit secundum beneplacitum ejus infinitæ Bonitatis, qui adimplet, quod postulabat Salvator noster Joann. XVII.: „Volo Pater, „ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis „sit, et ego in ipsis;" Paucis: Indulgentia Jubilæi affert superabundantem benedictionem Salvatoris nostri, omnium Sanctorum et sacerdotii Apostolici per os Vicarii Christi in terra.

30.

Adhortatio paterna diebus et subsidiis sanctis bene utendi.

Itaque cum hac animi dispositione, corde contrito juxta instructionem veræ fidei hucusque explicatam accedamus ad gradus Altarium Sanctorum, accurate adimpleamus, quod sedes Apostolica præscripsit, item quod superius ad 4. puncta reductum est, nec non, quod Nos vestrarum animarum Pastor eodem paterno affectu judicavimus addere et præscribere conformiter circumstantiis hujus diœceseos. Ita voluit Sua Sanctitas *Leo XII.* in suo Brevi ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos orbis Christiani. Quocirca confisi meritis Salvatoris nostri, Jesu Christi, beatissimæ Virginis Mariæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum, qui has regiones meritis illustrarunt, i. e. *Adalberti* et *Stanislai* et *S. Benedicti,* quem nos in singularem hujus diœceseos Patronum elegimus, et omnium Sanctorum, cum humili et secura fiducia in communione Sanctorum, in unione orationum fidelium justorum unius sanctæ catholicæ

et Apostolicæ Ecclesiæ, quam filius Dei utpote sponsam suam diligere, ditare, solari et magnificare non desinet unquam, in hac igitur beata fiducia adimpleamus, quod præscriptum est. Absit curiose scrutari, utrum Ecclesiæ præsules nimis parum, aut nimis multum exigant a nobis ad lucrandam magnam remissionem peccatorum. *Melior est obedientia* (filialis) *quam stultorum victimae*, dicit Eccl. 4. *Vocati enim sumus*, ait Apostolorum Princeps, *in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi* (1. Petr. 2.) Conditionum summa et orationes dabuntur vobis in peculiari libello, qui etiam perlegetur.

Quod Nobis et Vobis maxime cordi esset debet, et susceptio SS. Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ ordinata, reverens, patiens et devota. Altissima horum Mysteriorum dignitas hoc exigit a vobis. Abesset vera devotio et necessaria attentio, sicubi rustica importunitas, vel etiam violentia interveniret, ut citius reliquis accedere posset aliquis ad Confessarium; sicubi sacerdos undique in circulo clausus et veluti circumvallatus esset

a turbis. Abstinemus a describendo spectaculo tam deformi, quia confidimus in Vestra accurata obedientia. Vox est vestri Pastoris et Patris, cui ut vere bonæ oviculæ obsequentes eritis. Vestri enim Parochi in nomine Nostro hoc pariter inculcabunt vobis pro nunc et pro futuro. Ita fiet, ut sacratissimi fontes salutis nostræ debita dignitate et devotione administrentur et a vobis recipiantur debite dispositis cum reverentia et devotione.

Omni sollicitudine curabimus, ut in vestris parochiis adsint tot laboriosi confessarii, quot postulat numerus respectivus animarum. De spectata pietate nostrorum Cooperatorum in vinea Domini, possumus esse certi, quod moti et inflammati a Spiritu S. duplicem hunc laborem suscipientes supplebunt, quod alioquin a numero sacerdotum duplo majori, quam sumus, perficeretur, etiam tunc non sine conatu magno et vix sufficiente.

Quomodo autem nos gerere debeamus *post jubilaeum*, judicamus aptius dici posse circa finem Jubilæi.

Parate igitur, Dilectissimi! corda et corpora vestra. Dies salutis appropinquaverunt. Reconciliatio nostra, quæ est in purgatione peccatorum, jam adest: „*Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (hostibus animæ) *). *State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae in omnibus sumentes factum fidei, galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei*". Ita docet, ita vos alloquitur S. Ecclesia: Levate oculos vestros in *Pontificem magnum Jesum filium Dei*. Tentatus autem per omnia potest et vult compati infirmatibus nostris. — *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* **). Allaboremus omni diligentia, ut Christus magis magisque regnet in nobis et per nos ubique regnet et triumphet". Hæc verba nostri communis Capitis et u-

---

*) Ephes. 6.
**) Heb. 4.

niversalis Ecclesiæ Pastoris inaugurent annum Jubilæi, ut sit annus nobis sanctus dives bonis operibus, æternæ salutis porta per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Datum Bochniæ die 11. Aprilis 1826.

GREGORIUS THOMAS,
Episcopus.

INDEX.

U. J. O. G. D.

ERRATA POTIORA.

Pag.	*lin.*	*errat.*	*correct.*
3	7	orbo	orbe
6	20	vivit	vidit
13	14	discendens	discedens
17	17	cirater	circiter
20	8	rubelli	rebelli
23	8	Pœna	Pœnæ
30	21	phiales	phialas
32	4	sondescen-dentia	condescen-dentia
37	7	condonarent	condonaret
48	5	pouli	populi
51	8	oppressio	oppresso
59	5	facim	faciem
59	14	poulo	populo
68	19	igni	igne
95	23	rutitat	rutilat
115	9	pœnitentis	pœnitentia